R
B

Literature Dept.

BOOK NO. *264 H36 44

ACCESSION 235407

NOT TO BE TAKEN FROM THE LIBRARY

Form No. 37—5M—9-24—C.P.

HENRY BRADSHAW SOCIETY

Founded in the Year of Our Lord 1890

for the editing of Rare Liturgical Texts.

VOL. XLIV.

ISSUED TO MEMBERS FOR THE YEAR 1912,

AND

PRINTED FOR THE SOCIETY

BY

HARRISON AND SONS, ST. MARTIN'S LANE,

PRINTERS IN ORDINARY TO HIS MAJESTY.

+264
H36 44

235407

THE COLBERTINE BREVIARY

EDITED FROM THE COPY IN THE
BRITISH MUSEUM
(C. 35. f. 21.)

BY

T. R. GAMBIER-PARRY, M.A.
Magdalen College, Oxford.

IN TWO VOLUMES.

VOL. II.

London.
1913.

LONDON :
HARRISON AND SONS, PRINTERS IN ORDINARY TO HIS MAJESTY,
ST. MARTIN'S LANE.

TABLE OF CONTENTS OF THE SECOND VOLUME.

PAGE

BREVIARIUM COLBERTINUM—

PROPRIUM SANCTORUM AB ANNUNTIATIONE DOMINICA USQUE AD FINEM 297

COMMUNE SANCTORUM, ETC.... 518

OFFICIUM DEFUNCTORUM 542

LITANIÆ 549

APPENDIX 557

NOTES 561

INDEX OF LITURGICAL FORMS 578

INDEX OF SAINTS, ETC. 619

BREVIARIUM COLBERTINUM.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA.

Solemne majus

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cœcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ:

℟. Et concepit de Spiritu sancto.

Ad Magnificat Antiph. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Oratio. Deus qui. *ut infrà ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ave Maria, gratiâ plena: Dominus tecum.

Hymnus. Ave maris stella. *ut suprà ad Vesperas.*

Antiph. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

℣. Ave Maria, gratiâ plena: Dominus tecum.

℟. Benedicta tu in mulieribus.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato tibi non placuerunt; tunc dixi, Ecce venio.

Hymnus.

VIrgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis
In tua se clausit viscera factus homo.
Vera fides geniti purgavit crimina mundi;
Et tibi virginitas inviolata manet.
Te matrem pietatis, opem te flagitat orbis:
Subvenias famulis, ô benedicta, tuis.

Gloria magna Patri, compar tibi gloria, Nate,
Cum sancto Spiritu; gloria magna Deo. Amen.

℣. Verbum caro factum est:
℟. Et habitavit in nobis.

Ad Benedictus Antiph. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

Oratio.

DEus qui de beatæ Mariæ virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, ut qui eam verè genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur: Per eundem Dominum nostrum etc.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

AD PRIMAM.

Antiph. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* I. ⟨v. 26–38.⟩

IN illo tempore: Missus est angelus Gabriel ... fiat mihi secundùm verbum tuum.

AD TERTIAM.

Antiph. Ave Maria gratiâ plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ:
℟. Et concepit de Spiritu sancto.

AD SEXTAM.

Antiph. Ne timeas Maria; invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies et paries filium.

℣. Ave gratiâ plena: Dominus tecum:
℟. Benedicta tu in mulieribus.

AD NONAM.

Antiph. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus; et regnabit in æternum.

℣. Ecce ancilla Domini:
℟. Fiat mihi secundùm verbum tuum.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.

Hymnus. Ave maris stella. *ut in primis Vesperis.*

℣. Verbum caro factum est:
℟. Et habitavit in nobis.

Ad Magnificat Antiph. Fecit mihi magna qui potens est; et sanctum nomen ejus.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

DIE XXX.

Pro commemoratione
S. REGULI EPISCOPI.

AD LAUDES.

Antiph. Euge serve bone et fidelis; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Posui adjutorium super potentem:
℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Oratio.

DEus qui ad gentium illuminationem beatum Regulum Pontificem prædicationis Evangelicæ gloriâ decorasti, præsta ut quos fideles donasti esse doctrinis, meritorum imitatores esse concedas: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

REgulus Episcopus, unà cum sociis undecim, Quintino, Fusciano, Victorico, Luciano, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Rufino, Valerio, Piatone, et Marcello, à Romano Pontifice ad prædicandam Christi fidem missus est in Galliam. Sylvanectas sortitus, destructo idolorum cultu incolas ad Christi fidem adduxit. Multùm ille primos inter Belgicæ Apostolos in prædicando Evangelio laboravit; doctrinamque confirmavit miraculis: ac demum, fundatâ iis in locis Ecclesiâ, in pace quievit.

FESTA APRILIS.

DIE II.

In Festo

S. FRANCISCI DE PAULA CONFESSORIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis (xiv.) ⟨529⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Oratio.

DEus humilium celsitudo, qui beatum Franciscum Confessorem sanctorum tuorum gloriâ sublimasti, tribue, quæsumus, ut ejus meritis et imitatione, promissa humilibus præmia feliciter consequamur: Per Dominum nostrum etc.

Tempore Quadragesimæ, in utrisque Vesperis et in Laudibus fit commemoratio Feriæ occurrentis.

AD PRIMAM.

⟨*Lectio.*⟩

FRanciscus, Paulæ in Calabria Jacobo Martotilla patre et Vienna matre prognatus, à teneris annis solitudinem diligere ac jejuniis et orationibus vacare cœpit. Quod cùm parentes animadvertissent, eum annos circiter natum tredecim, ut votum nuncupatum implerent, in cœnobio sancti Francisci apud civitatem sancti Marci Deo obtulerunt: ubi anno exacto, nullaque professione emissa; cum ipsis Assisium profectus est, basilicas sancti Francisi ac sanctæ Mariæ de Angelis visitaturus. In patriam deinde reversus, Ecclesiam prope Paulam ædificavit, ac prima ibi Ordinis sui fundamenta jecit: cùmque præ humilitate omnium minimus haberi vellet, alumnos quoque suos Minimos voluit appellari. Quam iniit ab adolescentia vitæ rationem, inter labores, vigilias, innumerasque corporis macerationes, ad extremam usque senectutem servavit; et tanta quidem asperitate, ut rudi semper amictu, nudis plerumque pedibus incederet, cubaret humi, ac semel tantùm in die, idque ad solis occasum, reficeretur, et ad panem et aquam vix aliquid quadragesimalis opsonii adhiberet: quam consuetudinem ut Fratres et Sorores sui Ordinis toto anni tempore retinerent, quarto eos voto astrinxit. Multis miraculis servi sui sanctitatem Deus testari voluit; quorum illud imprimis celebre, quòd à nautis rejectus, Messanæ fretum, strato super fluctibus pallio, cum socio transmiserit. A Ludovico undecimo Francorum rege propter miraculorum famam expetitus, jubente Sixto quarto ad eum se contulit. Quem Rex magno cum honore

excepit in palatio Plexitio prope Turonos, eoque in loco Monasterium illi construxit. Ibi Franciscus mortis suæ præscius, die Cœnæ Domini inter Missarum solemnia effusis lacrymis sacro Viatico præmunitus, postridie, auditâ quam sibi prælegi optavit Domini Passione, quâ horâ Christus animam pro nobis posuit, eâdem et ipse suam Christo reddidit, anno ætatis nonagesimo primo, salutis millesimo quingentesimo septimo. Cujus corpus dies undecim insepultum, ita incorruptum permansit, ut suavem etiam odorem efflaret. Eum Leo decimus in Sanctorum numerum ascripsit.

Die iv.

In Festo

S. Ambrosii Episc.

et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex minus.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint. *ut in Communi Doctorum.* xiij. ⟨529⟩.

Oratio. Deus qui populo. xv. ⟨529⟩.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit. *ut in Communi Doctorum.* xv. ⟨529⟩.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

Ad Primam.

Lectio.

AMbrosius, patre Ambrosio Galliarum Præfecto in Galliis natus, liberalibus disciplinis Romæ excultus, ubi summa cum laude causas dixit. Postea Liguriæ et Æmiliæ à Probo Præfecto præpositus, venit Mediolanum, ubi, mortuo Auxentio Episcopo Ariano, Catholici, et hæretici de successore deligendo inter se dissidebant. Quare cùm ingressus Ecclesiam Ambrosius multa ad sedandam seditionem præclarè dixisset, derepente puero Ambrosium Episcopum proclamante, universi populi vox erupit Ambrosium Episcopum deposcentis. Recusante illo, et tantum onus variis artibus, atque etiam fugâ, declinante; ardens populi studium ad Valentinianum Imperatorem delatum est, cui gratissimum fuit à se delectos judices ad sacerdotium postulari. Probo etiam id jucundum fuit, qui Ambrosio proficiscenti quasi vaticinans dixerat: Vade, age non ut judex, sed ut Episcopus. Itaque Ambrosius baptisatus, erat enim catechumenus, susceptis intra septem dies omnibus Ordinibus, octavo, qui fuit septimus Decembris, Episcopus consecratus est. Tum prædia sua, usufructu Marcellinæ sorori reservato, dedit Ecclesiæ, cetera partitus inter Ecclesiam et pauperes; et curam rei domesticæ Satyro fratri commisit, ut liberiùs suo muneri vacaret. Facilis erat omnibus ad eum aditus. Litigantium causas summâ patientiâ et æquitate dirimebat. Lapsorum confessiones optimus Pastor excipiebat; atque, ut refert Paulinus ejus vitæ scriptor, Quoties illi aliquis ob percipiendam pœni-

tentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli apud quem intercedebat loquebatur. Agapas, ut ebrietatis occasio tolleretur, abrogavit. Clerum intra frugalitatis limites continuit; et viduarum munera accipere, nedum blandimentis elicere prohibuit. Quos sinceræ fidei ac sanctioris vitæ noverat, ad Episcopatum promovendos curavit. Plurimos Arianos, aliosque hæreticos convertit ad fidem; et clarissimum imprimis Ecclesiæ lumen Augustinum Christo peperit. Multa passus est à Justina, Valentiniani junioris matre, quam Ariani seduxerant; eique, ne ullæ iis basilicæ Mediolani traderentur, fortiter obstitit. Eo tempore institutum est, ut antiphonæ, hymni, et psalmi, juxta morem Orientalium, canerentur; ne pia plebs excubans in Ecclesia, et cum Episcopo mori parata, mœroris tædio contabesceret. Tunc etiam Ambrosio divinitus indicatum est quo loco Gervasii et Protasii corpora delitescerent. Invenit et corpora sanctorum Vitalis et Agricolæ, Nazarii et Celsi. Obstitit Valentiniano juniori ne Symmacho Urbis Præfecto Aram Victoriæ instaurandi faceret potestatem. Missus ab eodem ad Maximum, interfectorem Gratiani, eum pœnitentiam agere recusantem, à communione summovit. Theodosium Imperatorem, propter cædem Thessalonicæ factam, ingressu Ecclesiæ prohibuit. Cui, cùm ille obtenderet David quoque regem adulterum et homicidam fuisse, respondit Ambrosius: Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Quare Theodosius sibi ab eo impositam publicam pœnitentiam humiliter egit; et quod privati erubescebant, non erubuit Imperator. Demum sanctus Episcopus pro Ecclesia Dei maximis laboribus curisque perfunctus, multis libris etiam egregiè conscriptis, in morbum incidit. Ad quem ægrotum Honoratus Vercellensis Episcopus, Dei voce ter admonitus, accurrit, eique corpus Domini præbuit: quo ille sumpto, conformatis in crucis similitudinem manibus, animam Deo reddidit, anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, pridie Nonas Aprilis.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor optime. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

Die vi.

In Festo

S. Petri Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris, (v.) ⟨522⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Petri Martyris tui fidem congruâ devotione sectemur, qui pro ejusdem fidei dilatatione martyrii palmam meruit obtinere: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

PEtrus, Veronæ parentibus Manichæis natus, semper se ab hujus erroris labe servavit immunem. Adolescens Bononiæ, quò studiorum causa missus fuerat, Ordinis Prædicatorum institutum amplexus est. In salute animarum procuranda summo labore versatus, peculiaris gratiæ dono hæreticos accerrimè confutavit; concionibusque suis multos, qui ad eum audiendum undique confluebant, ad pœnitentiam adduxit. Como, ubi Prior in Monasterio sui Ordinis erat, Mediolanum proficiscentem, impius sicarius semel atque iterum in capite gladio vulneravit; jamque pæne mortuum et symbolum fidei pronuntiantem, mucrone in latus adacto, transfixit, sabbato in Albis, octavo Idus Aprilis, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Anno sequenti ab Innocentio quarto Martyrum numero ascriptus est.

Die ix.

In Festo

S. Mariæ Ægyptiæ.

Simplex.

(*Tempore Quadragesimali fit tantùm commemoratio de ea*)

Ad Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. In misericordiis tuis plurimis non fecisti eam in consumptionem, nec dereliquisti eam; quoniam Deus miserationum et clemens es tu, alleluia.

Hymnus.

VOs ô cum cytharis jungite cantus
Cœtus angelici: femina sacris
Quondam pulsa adytis, debita cælo
Nunc ad sidereas transvolat arces.
Hæc olim tenebris obsita densis,
Jam cælo nova lux undique fulget,
Et monstrat faciles prævia portus
Passis naufragium triste pudoris.
Quæ non divus amor pectora mutat!
Ut cæli radius fulsit ab alto,
Urbes seque fugit; nulla sat altos
Quò se condat, habet silva recessus.
Illi pro thalamo frigida rupes,
Lautis pro dapibus graminis herba;
Nec solis radios veste repellit,
Nec duras hyemes pellibus arcet.
Patri maxima laus, maxima Nato,
Sit laus æqua tibi, Spiritus alme,
Qui, dum sacrilegum pellis amorem,
Puros insinuas cordibus ignes.
Amen.

℣. Deus vitam meam annuntiavi tibi:

℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Ad Magnificat Antiph. Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram, alleluia.

Oratio. Largire. *ut infrà ad Laudes.*

Ad Matutinum.

Invitatorium. Deum nostrum in conversione Mariæ Ægyptiæ, venite, adoremus.

Hymnus. Vos ô cum citharis. *ut suprà ad Vesperas.*

Antiph. Conversa clamavit ad te: tu autem de cælo exaudisti et liberasti eam in misericordiis tuis multis, alleluia.

℣. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem:

℟. Quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Quàm magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se! pœnitentibus dedit viam justitiæ, et destinavit illis sortem veritatis, alleluia.

Hymnus.

Ultrix ipsa suos sævit in artus,
Per quos et potuit pulcra placere:
Deformis macies incubat ori;
Sed formam melior gratia pensat.
In pœnam scelerum sæpe recursant
Importuna malæ gaudia vitæ:
Sed versans animo debita noxis
Tot tormenta, graves comprimit æstus.
Tandem digna polo desere terras:
Placasti lacrymis Numinis iram;
Jam tu pasta sacro Corpore Christi
Æternæ capias pabula mensæ.
Patri maxima laus, maxima Nato,
Sit laus æqua tibi, Spiritus alme,
Qui, dum sacrilegum pellis amorem,
Puros insinuas cordibus ignes.
Amen.

℣. Dixi, Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino:

℟. Et tu remisisti impietatem peccati mei.

Ad Benedictus Antiph. Convertisti me, et egi pœnitentiam: erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. [*Tempore Paschali additur*, alleluia.]

Oratio.

Largire nobis, misericors Deus, ut beata Maria Ægyptia, quæ te super omnia diligendo suorum accepit veniam delictorum, pœnitentiæ salutaris donum nobis obtineat: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Venit Filius hominis quærere et salvare quod perierat, alleluia.

Lectio.

Maria Ægyptia, duodecennis, tempore Justini Imperatoris, relictis parentibus Alexandriam venit; fuitque per annos septemdecim ea in civitate peccatrix. Cùm autem Jerosolymam profecta, Calvariæ templum in festo Exaltationis sanctæ Crucis ingredi tentasset, ter divinitus repulsa, in atrio coram imagine Deiparæ Virginis vovit pœnitentiam, si liceret sibi vivificum Crucis lignum videre et adorare:

moxque templum ingressa, vidit et adoravit. Inde sumpto trium panum viatico, perceptâque Eucharistiâ in Oratorio sancti Joannis ad ripam Jordanis, ultra flumen in vastissimam solitudinem secessit. Ibi, comsumpto viatico, detritisque vestibus, ignota permansit annis quadraginta septem, donec ad torrentem quemdam occurrit ei Zosimas Presbyter, à quo obtinuit ut vespere in Cœna Domini in adversam Jordanis ripam afferret sibi Corpus et Sanguinem Domini, quorum participatione tot annos caruerat. Condicto die accessit ad eundem locum Zosimas, quò et Maria signo crucis impresso super aquas ambulans pervenit; recitatoque symbolo et oratione dominicâ, ut moris erat, divina dona suscepit; rursumque precata est Zosimam, ut anno recurrente ad eundem torrentem veniret. Qui cùm eò accessisset, conspexit corpus ejus jacens in terra, in quâ scripta hæc legit: Sepeli, Abba Zosima, miseræ Mariæ corpusculum; redde terræ quod suum est, et pulveri adjice pulverem; ora tamen Deum pro me: transeunte mense Pharmuthi, nocte salutiferæ Passionis, post divinæ et sacræ Cœnæ communionem. Corpori ejus leo adveniens, effossâ ungulis terrâ, paravit sepulcrum.

Ad Tertiam.

Antiph. Vadit ad ovem quæ perierat, donec inveniat eam, alleluia.

℣. Deus vitam meam annuntiavi tibi:

℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Ad Sextam.

Antiph. Cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, alleluia.

℣. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem:

℟. Quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Ad Nonam.

Antiph. Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat, alleluia.

℣. Delictum meum cognitum tibi feci;

℟. Et injustitiam meam non abscondi.

Die xi.

In Festo

Sancti Leonis Papæ.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Pontificum (xj.) ⟨526⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. [*Tempore Paschali additur*, alleluia.]

Oratio. Exaudi. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

[*Tempore Paschali additur*, alleluia.]

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

Ad Primam.

Lectio.

Leo primus, ob pietatem, eruditionem, et res in pontificatu præclarè gestas, Magni nomen assecutus, cùm adhuc esset Romanæ Ecclesiæ Diaconus Xysto Pontifici autor fuit ne reciperet Julianum in communionem Ecclesiæ subdolè irrepentem, qui profligatæ Pelagianæ hæreseos patrocinium susceperat, sedemque amissam recuperare cupiebat. Missus in Galliam, ut dissidentes inter se Aëtium et Albinum Romanos duces conciliaret, publicâ legatione revocatur ut Xysto succederet. Quatiebatur interim totus pœne orbis Christianus hæreticorum variis tempestatibus. Orientem Nestoriani, Occidentem Pelagianorum reliquiæ infestabant. Pulsi ex Africa Manichæi Romam confluxerant : quos ut manifestos redderet Leo, diligenter observari voluit, an die Dominica et feria secunda, quod in solis et lunæ honorem facere consueverant, jejunarent ; et an oblatum redemptionis nostræ sanguinem haurire omnino declinarent. Pelagianorum reliquias extinxit ; et ad Ecclesiam redeuntes, hæresim obsignatis tabulis damnare jussit. Ejus quoque operâ, congregata in Hispania synodus renascentem Priscillianistarum errorem proscripsit. Bassianum, in Ephesinam sedem intrusum, deposuit. Coactâ Romæ Occidentalium synodo, cuncta quæ Ephesi contra fidem et sacros canones à Dioscoro Alexandrino acta fuerant, imprimisque Flaviani depositionem, rescidit. Cumque res Orientis turbatæ prudentiam Leonis et autoritatem postularent ; Marcianus Imperator ejusque conjux Pulcheria eum, ut laboranti Ecclesiæ adesset, scripto rogarunt. Habitum est itaque Concilium Chalcedone ; cui per legatos præfuit. Ibi perlecta est illius ad Flavianum Constantinopolitanum Epistola, quam summis laudibus ad se missam exceperant Galliarum Episcopi ; et ab universis acclamatum : Petrus per Leonem ita locutus est. Cujus Concilii definitionem adversùs Eutychen et Dioscorum ad eosdem Galliæ Episcopos transmisit. Agitatam diu inter Viennenses et Arelatenses de Primatu controversiam, Provinciæ divisione composuit. Missus à Valentiniano Imperatore ad Attilam, qui Aquileiam magnis cum copiis intraverat, pacem inter eos composuit. Romam reversus, Genserico Urbem invadenti, mirâ eloquentiâ et sanctitatis opinione persuasit, ut ab incendio et cædibus abstineret. Canonum propugnator fuit acerrimus, multaque sanctè et utiliter decrevit. Usuras non Clericis modo, sed etiam laicis interdictas esse declaravit. Clericum ab externo Episcopo suum in clerum ascribi, digamos ordinari, invitis Episcopos dari, solemne baptisma nisi pervigilio Paschatis et Pentecostes celebrari, infra Ordinem sacerdotalem constitutos gradum

sibi prædicationis assumere, prohibuit. Episcopum qui relictà suâ civitate, majorem sedem ambierit, utrâque spoliandum esse censuit. Definivit non denegandam esse pœnitentiam in exitu vitæ constitutis, quos aliquo indicio eam desiderasse constaret. Decrevit baptizandos esse captivos, qui à tenella ætate in captivitatem abducti, se esse baptizatos non meminissent. Plurimis tandem functus laboribus, multisque luculenter scriptis, cùm Italiam à Barbarorum vastatione, et Ecclesiam ab Hæreticorum labe vindicasset, abiit ad Dominum, anno Pontificatûs vicesimo, mense undecimo.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Magnificat Antiph. Tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis, alleluia.

Tempore Quadragesimæ fit commemoratio Feriæ occurrentis.

DIE XXI.

In Festo

S. OPPORTUNÆ VIRG.

Simplex.

Omnia ut in Communi Virginum. xvij ⟨532⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

OPportuna, Chrodogangi Sagiensis Episcopi et Martyris soror, cùm in Ecclesia illud ex Evangelio audisset, Vade, vende omnia quæ possides, et da pauperibus; abjectis sæcularibus ornamentis, cœnobium in saltu Algiæ situm prope Almaniscas, quod Monasteriolum dicebatur, ingressa, religionis velum episcopali benedictione consecratum accepit. Ibi tantis virtutibus enituit, ut, reluctantem licèt, Monachæ unanimi consensu eam sibi præfecerint. Ex eo tempore majori corpus abstinentiâ domare cœpit; cilicium semper induit; noctes sæpe pervigiles egit in Dei laudibus; feriâ quartâ et sextâ cibis omnibus abstinens, aliis diebus pane hordeaceo et aquâ, Dominicâ verò propter diei venerationem pisculis usa est, sororibus necessaria omnia interim suppeditans. Mortuo Chrodogango, cum possidendi Christi desiderio magis incenderetur, apparuerunt illi sanctæ virgines Lucia et Cæcilia, et imminentem mortem prænuntiarunt. Quare accepto Eucharistiæ sacramento, migravit in cælum. Sepulta est juxta fratris sepulcrum: ad quorum tumulum Deus multas virtutes operatus est.

DIE XXII

In Festo

INVENTIONIS CORPORUM SS. DIONYSII, RUSTICI ET ELEUTHERII.

Duplex minus.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (viij.) ⟨524⟩. *præter Orationem.*

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ad immortales trium-

phos Dionysium, Rusticum, et Eleutherium, Martyres tuos extulisti ; da cordibus nostris dignam pro eorum sacra Inventione lætitiam ; ut quorum corpora pio amore complectimur, eorum precibus adjuvemur : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

POst passionem sanctorum Dionysii, Rustici, et Eleutherii, cùm persecutores corpora eorum in Sequanam projicere cogitarent, ut à fidelium conspectu et veneratione subducerentur ; matrona quædam nondum fidelis, piè tamen in Deum affecta, per domesticos suos ea clam auferri ac sepulturæ in agro mandari præcepit, sexto ab urbe lapide ; ubi diu latuerunt. Sedatâ persecutione, immemor facti mulier cùm vidisset in somnis locum hunc ebullire, thesaurum absconditum in agro quæsivit, invenit, ibique tumulum erexit : ac postea fideles basilicam illic construxerunt, quæ frequenti populorum concursu et miraculorum gloriâ fuit illustris. Horum Martyrum patrocinium Dagobertus præ cæteris Francorum regibus ambiens, ipsorum Memoriam magnificè ornavit arte et operâ beati Eligii ; qui fabricavit mausoleum elegantius, ut describit sanctus Audoenus, habens tectum marmoreum, auro et gemmis insigne ; axes etiam in circuitu throni altaris auro operuit, et posuit in eis poma aurea atque gemmata : lectorium quoque et ostia vestivit argento, et tectum throni altaris operuit axibus argenteis : fecit præterea repam in loco anterioris tumuli ; et altare extrinsecus ad pedes sepulcri composuit. In eam basilicam Dagobertus extremo morbo laborans, è Spinogelo villa ad Sequanam, deferri voluit ; ubi diem clausit ultimum, ac sepultus est sub arcu in latere dextro.

In secundis Vesperis fit commemoratio sancti Georgii Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *de Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ et honore. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. *ut die sequenti.*

Die xxiii.

In Festo

Sancti Georgii Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris, (vj.) ⟨522⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione lætificas, concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur : Per Dominum nostrum etc.

Die xxv.

In Festo

S. Marci Evangelistæ.

Duplex majus.

Omnia ut in Communi Apostolorum, Tempore Paschali (iij.) ⟨520⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Oratio.

DEus qui beatum Marcum Evangelistam tuum Evangelicæ prædicationis gratiâ sublimasti, tribue, quæsumus, ejus nos semper et eruditione proficere et oratione defendi : Per Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Evangelistarum Dominum, venite, adoremus.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri, de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Cap.* 18.

MArcus, discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cùm Petrus audivisset ; et probavit, et Ecclesiæ legendum, suâ autoritate dedit ; sicut scribunt Clemens in sexto Hypotyposeon libro, et Papias Hierapolitanus Episcopus. Meminit hujus Marci et Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans ; Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus. Assumpto itaque Evangelio quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum ; et primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit Ecclesiam, tantâ doctrinâ et vitæ continentiâ, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Judæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Jerosolymæ credentes omnia habuisse communia ; sic et ille, quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octavo Neronis anno, et sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

In secundis Vesperis fit commemoratio sancti Cleti Papæ et Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *de Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ et honore. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. *ibidem.*

Die xxvi.

In Festo

Sancti Cleti Papæ et Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris. vj. ⟨522⟩.

Oratio. Deus qui nos beati. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

CLetus, qui et Anacletus, Lini successor, post Apostolum Petrum secundus, Imperatoribus Vespasiano et Tito, Romanam rexit Ecclesiam. Cui cùm duodecim annis præfuisset, secundâ post Neronem persecutione, gloriosi martyrii coronam adeptus est.

Die xxviii.

In Festo

Sancti Vitalis Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris. (v.) ⟨522⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente beato Vitale Martyre tuo, et à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et à pravis cogitationibus mundemur in mente, Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

VItalis miles, sanctorum Gervasii et Protasii pater, unà cum Paulino judice Ravennam ingressus, cùm vidisset Ursicinum medicum, ob Christianæ fidei confessionem ductum ad supplicium, paululum in tormentis titubare, exclamavit: Ursicine medice, qui alios curare solitus es, cave ne te mortis æternæ jaculo conficias. Qua voce confirmatus Ursicinus martyrium fortiter subiit. Quare Paulinus ira incensus Vitalem comprehendi jubet, et equuleo tortum, atque in profundam foveam injectum, lapidibus obrui. Quo facto, quidam Apollinis sacerdos, qui Paulinum in Vitalem incitarat, oppressus à dæmone, clamare cœpit; Tu me nimiùm, Vitalis Christi martyr, incendis: et illo æstu jactatus, se præcipitavit in flumen.

Die xxx.

In Festo

S. Eutropii Episcopi et Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris. v. ⟨522⟩.

Oratio. Infirmitatem. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

EUtropius Episcopus, in Gallias ad prædicandam fidem missus, post adimpletum ritè munus, apud Santonas, illiso ab incredulis capite, martyr occubuit; et ob instantem persecutionem, loco minùs digno sepultus est. Cùmque temporum lapsu nulla nisi nominis ejus et sanctitatis superesset memoria, à fidelibus ut sanctus, non ut martyr, habebatur: donec, eum pro Christo sanguinem fudisse, sic fuit revelatum. Palladius Santonensis Episcopus, qui Concilio Parisiensi quarto et Matisconensi secundo interfuit, in ejus honorem circa annum Domini sexcentesimum basilicam extruxit: ad quam convocatis Abbatibus, dum è tumulo sacras Eutropii reliquias honorificentiùs collocandas transferret, duo ex illis Abbatibus, amoto opertorio, conspexerunt ictu securis illisum caput. Quibus etiam nocte sequenti idem Sanctus apparuit, dicens: Scitote, me per eam cicatricem, quam vidistis in capite, martyrium consummasse. Ex eoque, quòd Martyr esset, innotuit populis; quia non aderat historia passionis.

FESTA MAII.

Die 1.

In Festo

SS. Apostolorum Philippi et Jacobi.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia.

Hymnus. Jam mortis. *ut in Communi Apostolorum, tempore Paschali.* iij. ⟨520⟩.

℣. Tristitia vestra

℟. Vertetur in gaudium.

Ad Magnificat Antiph. Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth, alleluia.

Oratio. Deus qui nos. *ut infrà ad Laudes.*

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Apostolorum Dominum, venite, adoremus, alleluia.

Hymnus. Jam mortis. iij. ⟨520⟩.

Antiph. Ite nuntiate fratribus meis, alleluia, ut eant in Galilæam : ibi me videbunt, alleluia.

℣. Pax vobis ; ego sum :

℟. Nolite timere.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

⟨Ad Laudes.⟩

Ad Psalmos Antiph. Præbuit Jesus seipsum vivum Apostolis post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, alleluia.

Hymnus. Nunc se videndum. *ut in Communi Apostolorum, tempore Paschali.* iv. ⟨521⟩.

℣. Gavisi sunt Discipuli,

℟. Viso Domino.

Ad Benedictus Antiph. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam ; ut glorificetur Pater in Filio, alleluia.

Oratio.

DEus, qui nos annuâ Apostolorum tuorum Philippi et Jacobi solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Domine ostende nobis Patrem ; et sufficit nobis, alleluia.

Lectio.

PHilippus Bethsaidæ natus, unus fuit è duodecim qui primùm à Christo vocati sunt : à quo cùm accepisset Nathanaël, venisse Messiam in Lege et Prophetis promissum, ad Dominum deductus est. Quàm verò Christus eum familiariter adhiberet, illud facilè declarat, quod Gentiles Salvatorem videre cupientes, ad Philippum accesserunt : et Dominus cùm in solitudine hominum multitudinem pascere vellet, sic Philippum affatus est ; Unde ememus panes, ut manducent hi ? Is, accepto Spiritu sancto, cùm ei Scythia ad predicandum Evangelium obtigisset, omnem ferè illam gentem ad Christum convertit, Diaconibus, Presbyteris et Episcopis ibi constitutis. Post-

remo in Asia glorioso fine quievit. Caput ejus Joannes Dux Biturigum auro gemmisque decoratum donavit Ecclesiæ Parisiensi ; ubi magnâ religione colitur.

Jacobus, frater Domini, cognomento Justus, de utero matris sanctus fuit : vinum et siceram non bibit ; carne abstinuit ; nunquam tonsus est, nec unguento nec balneo usus. Huic soli in Sancta licebat ingredi : linea veste, non lanea, induebatur · ei assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imitaretur. Eum post Christi Ascensionem Apostoli Jerosolymorum Episcopum creaverunt : ad quem etiam Petrus misit qui nuntiaret se è carcere ab Angelo eductum. Is nonaginta sex annos natus, cùm triginta annis illi Ecclesiæ sanctissimè præfuisset, Christum Dei filium constantissimè prædicans, à Judæis lapidibus primùm appetitur ; mox in altissimum templi locum adductus, inde præcipitatus est. Qui confractis cruribus jacens semivivus, manus tendebat ad cælum, Deumque pro illorum salute precabatur his verbis : Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Qua in oratione, fullonis fuste capite graviter percusso, animam Deo reddidit, septimo Neronis anno ; et juxta templum, ubi præcipitatus fuerat, sepultus est. Tradit Josephus tantæ eum sanctitatis fuisse et celebritatis in populo, ut propter ejus necem creditum sit subversam esse Jerosolymam. Unam scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis est. Ejus Cathedra, prioribus Ecclesiæ sæculis, magno in honore Jerosolymis est habita.

Ad Tertiam.

Antiph. Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me ? Philippe, qui videt me, videt et Patrem, alleluia, alleluia.

℣. Tristitia vestra

℟. Vertetur in gaudium.

Ad Sextam.

Antiph. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem ? non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est, alleluia.

℣. Pax vobis ; ego sum :

℟. Nolite timere.

Ad Nonam.

Antiph. Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor : Pater autem in me manens, ipse facit opera, alleluia.

℣. Sicut misit me Pater,

℟. Et ego mitto vos.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet ; et majora horum faciet : quia ego ad Patrem vado, alleluia.

Hymnus. Jam mortis. *ut in Communi Apostolorum, tempore Paschali.* iij. ⟨520⟩.

℣. Gavisi sunt Discipuli,

℟. Viso Domino.

Ad Magnificat Antiph. Si diligitis me, mandata mea servate, alleluia, alleluia, alleluia.

Fit commemoratio sancti Athanasii.

Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam eruditiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitate†, alleluia.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum :

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio. Præsta, quæsumus. *ut infrà ad Laudes.*

DIE II.

In Festo

S. ATHANASII EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xij.) ⟨527⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

AD LAUDES.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum, alleluia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut excellentiam Verbi tui, quam beatus Athanasius asseruit, et convenienter intelligere valeamus, et veraciter profiteri, Per eumdem Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

ATHanasius, ab Alexandro Episcopo Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus ordinatus, ab eo ductus est ad Concilium Nicænum, ubi Arii impietatem acriter impugnavit. In Alexandri defuncti locum suffectus, nullis unquam precibus aut minis adduci potuit ut Arium fictè pœnitentem in Ecclesiam reciperet : quod quidem Arianorum, et maximè Eusebii Nicomediensis odium in eum concitavit. Tranquillo adhuc episcopatûs initio, Diœcesim omnem perlustravit : atque in id potissimùm incubuit, ut Meletianos ad unitatem Ecclesiæ revocaret ; at illi consilio postea cum Arianis inito, ut ipsum episcopatu dejicerent calumnias multas struxerunt, id imprimis dantes crimini quod ad emenda sacra velamina primus tributum exegisset, et Philumeno rebelli misisset pecuniam : quas criminationes coram Constantino cùm diluisset, commendatus ab eo per literas, Alexandriam redire jussus est. In Tyri Conciliabulo accusatus est ab Arianis de nece Arsenii Episcopi ex Meletianis, ac de stupro per vim illato mulieri : verùm Arsenio præter eorum spem ad Concilium adducto, et muliere de fraude convictâ, exarserunt magis ; eumque ad Constantinum, ut illorum vim effugeret profectum, quasi causam deserentem damnaverunt, et episcopatu abdicarunt. Ad aliam conversi calumniam, Imperatori suggerunt comminatum esse Athanasium, prohibiturum se ne consueta annona ex Ægypto Constantinopolim deportaretur. Tum Constantinus Athanasium Treviros amandavit ; ubi à Maximino Episcopo honorificentissimè exceptus est. Alexandriam revocatus, id agente apud Constantium fratrem Constantino juniore, quæ mens fuerat Constantini patris, novis iterum apud Constantium calumniis appeti-

tur. A Julio Papa, cui Eusebiani Concilium postulantes scripserant, unâ cum ipsis accitus, Romam solus venit, adversariis judicio adesse recusantibus; qui Antiochiam interim dedicandæ basilicæ Constantianæ prætextu convenientes, deposito Athanasio quòd à synodo damnatus absque alterius synodi decreto ad suam sedem redire præsumpsisset, Gregorium suffecerunt. Julius verò in synodo quinquaginta et ampliùs Episcoporum Romæ coacta, Athanasium innocentem judicavit. Synodi quoque Sardicensis judicio ab hæreticorum calumniis vindicatus, sedi suæ redditus est à Constantio; Constante fratre, qui in Gallia regnabat, nisi id faceret, bellum minitante. Quarto pòst anno, cùm se ob denegatas Arianis basilicas, à Constantio morti addictum accepisset, in Ægypti monasteria se recepit. Post mortem Constantii, permittente Juliano Apostatâ, reversus, ab eo demum quòd idolorum cultoribus infensissimus esset, exagitatus, iterum discedere cogitur; et ad mortem quæsitus, insequentes se astuto consilio elusit; delituitque Alexandriæ, donec sedata esset persecutio. Post mortem verò Juliani, sub Joviano, catholico Imperatore, pacificè suam rexit Ecclesiam. Sed rursus movente persecutionem Valente Ariano, in paterno monumento quatuor menses delitescere coactus, et ab eo tandem revocatus, post tot ac tanta certamina, anno episcopatûs quadragesimo sexto, in lectulo suo mortuus est.

COLBERT.

Die III.

In Festo Inventionis

Sanctæ Crucis.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, alleluia.

Hymnus.

Lignum crucis mirabile
Totum per orbem prominet,
In qua pependit innocens
Christus redemptor omnium.
Hanc nulla cedrus arborem
Adæquat alto vertice,
Quæ poma nescit noxia
Sed ferre vitæ præmia.
Tu Christe, Rex piissime,
Hujus Crucis signaculo,
Diebus, horis omnibus,
Munire nos non abnuas.
Ut lingua cordi consona,
Comesque cordis puritas,
Laudis tibi perenniter
Munus rependat debitum.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dirâ criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo:

℟. Cùm Dominus ad judicandum venerit.

Ad Magnificat Antiph. Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, alleluia.

Oratio. Deus, qui in præclara. *ut infrà ad Laudes.*

Fit commemoratio sancti Athanasii.

Antiph. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beatæ Athanasi, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei, alleluia.

℣. Posui adjutorium super potentem :

℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Oratio. Præsta, quæsumus. *ut suprà in Festo S. Athanasii.* 135. ⟨312⟩.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem crucifixum, venite, adoremus.

Hymnus. Lignum Crucis. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est ; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est, alleluia.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi :

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, alleluia.

Hymnus.

CRux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis,
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, germine :
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinet.
Sola digna tu fuisti
Ferre sæcli pretium,
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago ;
Quem sacer cruor perunxit
Fusus Agni corpore.
Gloria et honor Deo
Usquequaque altissimo
Unà Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito:
Cui laus est et potestas
Per æterna sæcula. Amen.

℣. Dicite in Nationibus,

℟. Quia Dominus regnavit à ligno.

Ad Benedictus Antiph. Crucifixus surrexit à mortuis, et redemit nos, alleluia, alleluia.

Oratio.

DEus, qui in præclara salutiferæ Crucis Inventione, passionis tuæ miracula suscitasti, concede, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur : Qui vivis etc.

Fit commemoratio SS. Martyrum, Alexandri Papæ, Eventii Presbyteri, et Theoduli Diaconi.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt, alleluia.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Martyrum tuorum, Alexandri, Eventii, et Theoduli natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur : Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Antiph. O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit, alleluia.

Lectio.

Ex Epistola sancti Paulini Episcopi ad Serenum. *Epist.* 11.

ADrianus Imperator existimans se fidem Christianam loci injuriâ perempturum, in loco Passionis simulacrum Jovi consecravit; et Bethleem Adonidis fano profanata est: ut quasi radix et fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est ut pateretur, passus est ut resurgeret, surrexit ut regnaret; judicatus ut judicaret. Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora, nostris proxima, Constantini, qui princeps esse principibus Christianis non magis suâ quàm matris Helenæ fide meruit. Regina illa venerabilis ut venit Jerosolymam, Crucem Domini studiosissimè inquirere adorsa est. De loco tantum passionis certior fieri studuit. Jussit illicò, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi; paratâque mox civium pariter et militari manu, brevi laborem istius molitionis hausit; et contra spem omnium, sed secundùm ipsius tantùm Reginæ fidem, altâ egestione reseratis terræ finibus, abditæ Crucis arcana patuerunt. Sed cùm tres pariter Cruces, ut quondam fixæ Domino et latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, justo piorum metu, ne forsitan, aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo violarent. Respexit pias fideliter astantium curas Dominus; et ipsi potissimum quæ tam piæ sollitudinis† princeps erat, hujus consilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri et inferri juberet. Nec mora: verbum factum; cadaver illatum est: deponitur; jacenti una de crucibus admovetur, et altera: sed reorum ligna mors sprevit. Postremò dominicam Crucem prodit resurrectio, et ad salutaris ligni tactum morte profugâ funus excussum, et corpus erectum est; tremefactisque videntibus, stetit mortuus, et funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illicò inter spectatores suos redivivus incessit.

AD TERTIAM.

Antiph. Ecce Crucem Domini; fugite partes adversæ: vicit leo de tribu Juda, radix David, alleluia.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo,

℟. Cùm Dominus ad judicandum venerit.

AD SEXTAM.

Antiph. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, alleluia.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi:

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ad Nonam.

Antiph. Benedictum est lignum per quod fit justitia, alleluia.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi ;

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster, alleluia.

Hymnus. Lignum Crucis. *ut in primis Vesperis.*

℣. Dicite in Nationibus,

℟. Quia Dominus regnavit à ligno.

Ad Magnificat Antiph. Crucem sanctam subiit qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia.

Fit commemoratio S. Monicæ.

Antiph. Simile est. *de Communi Mulierum sanctarum.* xx. ⟨534⟩.

℣. Mandata. *ibidem.*

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Die iv.

In Festo

S. Monicæ Viduæ.

Omnia ut in Communi Mulierum sanctarum. xx. ⟨534⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

MOnica, sancti Augustini dupliciter mater, quia eum et mundo et cælo peperit, Patricium conjugem, cui velut domino semper servierat, extremo ejus vitæ tempore ad Christi fidem adduxit. Lapso in Manichæorum hæresim filio, cùm pro ejus conversione multis lacrymis Deum precaretur, audivit à quodam Episcopo ; Fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat. Terrâ marique illum secuta, Mediolani innotuit Ambrosio, qui Augustino gratulatus est quòd eam matrem haberet. Ibi cùm ad Memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes cum pane et mero attulisset, atque ab Ostiario prohiberetur ; ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam piè obsecuta est, ut ipse miraretur Augustinus quod tam facile accusatrix potiùs consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta fuisset. Rediens in Africam cum Augustino, qui ejuratâ hæresi, ab Ambrosio baptizatus fuerat, cùm ad Ostia Tiberina constitisset, sic filium est allocuta : Fili, nullâ jam re delector in hac vita : quid hîc faciam adhuc, et cur hîc sim, nescio, jam consumptâ spe hujus sæculi : unum erat propter quod in hac vita aliquantulùm immorari cupiebam, ut te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer ; cumulatiùs hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam contemptâ felicitate terrenâ servum ejus videam. Quinto pòst die in febrem incidit, et astantem intuens Augustinum, cum fratre ejus Navigio : Ponetis hîc, inquit, matrem vestram ; illud autem vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei. Die nono ægritudinis suæ, ætatis anno quinquagesimo sexto, animam Deo reddidit. Tum Evodius, succinente totâ domo, cantare

cœpit Psalmum Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine. Juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, oblatum est pro ea, ut refert Augustinus, sacrificium pretii nostri Deo ad ejus altare, cui ipsa nullius diei prætermissione servierat, et unde noverat dispensari victimam sanctam quâ deletum est chirographum contrarium nobis.

Die vi.

In Festo

S. Joannis ante Portam Latinam.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Apostolorum Tempore Paschali, (iij.) ⟨520⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Calicem meum bibetis ; et baptismo quo ego baptizor, baptizabimini, alleluia.

Oratio. Deus qui conspicis. *ut infrà in Laudibus.*

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. In ferventis olei dolium missus beatus Joannes Apostolus, divinâ protegente gratiâ illæsus exivit, alleluia.

Oratio.

DEus qui conspicis quia nos undique mala nostra perturbant, præsta, quæsumus, ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ intercessio gloriosa nos protegat: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri adversùs Jovinianum. *Lib.* i.

Lectio.

JOannes unus ex Discipulis, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit: et ideo plus amatur à Domino, et recumbit super pectus Jesu : et quod Petrus qui uxorem habuerat, interrogare non audet ; illum rogat ut interroget. Et post resurrectionem, nuntiante Mariâ Magdalene quod Dominus resurrexisset, uterque cucurrit ad sepulcrum, sed ille prævenit. Cumque essent in navi, et piscarentur in lacu Genezareth, Jesus stabat in litore ; nec sciebant Apostoli quem viderent: solus virgo virginem agnoscit, et dicit Petro, Dominus est.

Est Joannes et Apostolus, et Evangelista, et Propheta : Apostolus ; quia scripsit ad Ecclesias ut magister : Evangelista ; quia librum Evangelii condidit, quod, excepto Matthæo, alii ex duodecim Apostoli non fecerunt : Propheta ; vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsim, infinita futurorum mysteria continentem. Refert autem Tertullianus, quod Romæ missus in ferventis olei dolium, purior et vegetior exiverit quàm intraverit.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione et regno et

patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei et testimonium Jesu, alleluia.

Fit commemoratio sanctæ Domitillæ Virginis et Martyris.

Antiph. Inveni. *de Communi Virginum.* xvij. ⟨532⟩.

℣. Elegit. *ibidem.*

Oratio. Deus qui inter cætera. *ibidem.*

Die vii.

In Festo

S. Domitillæ Virg. et Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi Virginum. xvij. ⟨532⟩.

Oratio. Deus qui inter cætera. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

DOmitilla, Flavii Clementis Romani Consulis ex sorore neptis, anno imperii Domitiani quintodecimo, quòd Christianam se profiteretur, in Insulam Pontiam est deportata, ubi longum martyrium duxit. Demum, cùm plures ad fidem convertisset, judicis jussu incenso cubiculo, in quo unà cum Euphrosyna et Theodora sociis virginibus erat inclusa, martyr occubuit, persecutione Trajani.

Die ix.

In Festo

S. Gregorii Nazianz.

Episcopi et Ecclesiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨529⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint. *ut in Communi Doctorum.* xiij. ⟨529⟩.

Oratio. Deus qui populo. xiv. ⟨529⟩.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Ad Primam.

Lectio.

GRegorius, ob singularem divinarum literarum scientiam Theologus appellatus, Arianzi in Cappadocia secunda natus est Gregorio patre, qui postea Nazianzenæ Ecclesiæ curam suscepit, et Nonnâ matre, quæ nondum in lucem editum Deo consecravit. Adolescens Cæsaream primùm, deinde Alexandriam, hinc Athenas, discendi studio, perrexit, ubi amicitiam iniit cum Basilio, et ab Atheniensibus eloquentiæ professor est designatus. In patriam reversus, anno ætatis trigesimo baptizatus est. Tum Presbyter à patre, invitus licet, creatus, mox ne ab eodem Episcopus consecraretur, fugit in Ponti solitudinem, ubi cum Basilio monasticæ vitæ instituta condidit. Imperante Juliano Nazianzum venit, ubi patrem nonagenarium, qui deceptus ab Arianis confessioni Ariminensi subscripserat, adduxit ut subscriptionem revocaret, eumque Monachis et magnæ gregis parti quæ ab ipso desciverat, reconciliavit. Sasimorum Ecclesiæ à Basilio præfectus, ne causa esset

dissidii Basilium inter et Anthimum Thyanensem Episcopum de Sasimorum oppido, Episcopatu cessit; et Nazianzum in auxilium patris ea conditione venit, ut illo vita functo recéderet. Constantinopolim ad restaurandam hujus civitatis Ecclesiam missus, Arianos et Apollinaristas expugnavit: multisque ab hæresi ad fidem revocatis, lapidibus propterea appetitus, ut seditiosus trahitur ad judicium, sed absolvitur. Tantis perfunctum laboribus Petrus Alexandrinus Constantinopolitanorum Episcopum per epistolas instituit; at paulo pòst, mutato consilio, ad eam sedem Maximum Cynicum, clero et plebe repugnantibus, evexit. Convocatâ deinde Constantinopolitanâ synodo, Maximus dejicitur; Gregorius verò confirmatur, operâ Meletii Antiocheni, ante adventum Timothei Alexandrini et Episcoporum Ægypti aliorumque ex Macedonia: qui cùm adessent, negarentque citra suum consensum Constantinopoli dari Episcopum potuisse, Gregorius in concilio, studio pacis, se abdicans, dixit: Si vobis ullo modo dissidii causa sum, Jonam Prophetam vitæ integritate non supero, projicite me in mare, et hæ tumultuum procellæ conquiescent. Post hæc à synodo discedens, cùm Nectarius ei substitutus esset, Arianzum se recepit: unde Cæsaream profectus, in laudem Basilii nuper defuncti orationem funebrem habuit. Dehinc Nazianzum præsule orbatam aliquandiu administravit; eique Ecclesiæ ab hæresi expurgatæ præficiendum curavit Eulalium. Rus deinde secedens, Monachi vitam egit; et nonagenarius, Theodosio imperante, decessit.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor optime. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Fit commemoratio Translationis sancti Nicolai Episcopi.

Antiph. Elegit ipsum Dominus ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem pro populo suo.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio. Auge. *ut in Festo sequente.*

Die x.

In Festo Translationis
S. Nicolai Episcopi.
Simplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis (xij.) ⟨527⟩. *præter Orationem.*

Oratio.

AUge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum reliquiis mirabilia operaris; et fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

SAncti Nicolai corpus Myræ in Lycia sepultum, post septingentos et amplius annos devas-

tatâ à Turcis civitate, allatum est Barium anno Domini millesimo octogesimo septimo. Cùm autem post biennium Urbanus secundus propter ecclesiastica negotia in Apuliam profectus esset, pietate in beatum Confessorem impulsus, Barium adiit. Ibi cum magnâ undique convenientis populi frequentiâ ejus reliquias in adyto collocavit; et pro sua in sanctum Nicolaum reverentia, Eliam in ejus sede præter morem Ecclesiæ Romanæ Episcopum consecravit. Ex toto orbe Christiano frequentes eò fiunt peregrinationes, Deo variis miraculis declarante quàm sibi accepta sit sancti Confessoris intercessio.

Die xi.

In Festo

S. Mamerti Episcopi.

Simplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

CLamantes ad te, quæsumus, Domine, dignanter exaudi, ut sicut ad preces beati Confessoris tui Mamerti populo in afflictione posito pepercisti, ita et nobis ejus intercessione in omni tribulatione succurras: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

MAmertus, regnante Clodoveo Magno, post Simplicium Viennensis Episcopus ipsâ Resurrectionis dominicæ vigiliâ, deflagrante regalis palatii arce, cùm cives facultatibus domibusque suis metuentes ex Ecclesia discessissent, ipse solus in ea remansit, et lacrymis ac orationibus incendium extinguere meruit. Sed jam antea fere per anni spatium frequentes terræ motus plures ejusdem civitatis domos et basilicas concusserant: insoliti quoque sonitus nocturni; et lupi, ursi, ac cervi per urbem oberrantes exitiale quiddam et ferale minitabantur. Quæ flagella ut averteret; eâdem nocte, civibus post extinctum incendium ad Ecclesiam reversis, animo concepit instituere solemnes litanias usitatis sanctiores. Has postea indixit triduo ante Ascensionem celebrandas in jejuniis, compunctione cordis, precibus, et eleemosynis: ad quas universis fidelibus concurrentibus, coorta cessavit calamitas. Eas supplicationes mox totâ Galliâ præscriptas et observatas, Roma ipsa, Leonis tertii autoritate amplexa est. Successorem habuit Mamertus Hesychium Senatorem, patrem sancti Alcimi Aviti ejusdem sedis postea Episcopi. Corpus ejus in basilica Apostolorum extra muros Viennæ sepultum, post multos annos Aurelianos allatum est ad basilicam sanctæ Crucis: unde extractum à Calvinianis incendio consumptum est.

Die xvi.

In Festo

S. Honorati Episcopi.

Simplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Honorato Confessore tuo atque Pontifice, tuæ pietatis indulgentiam consequamur: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

HOnoratus, in vico qui Portus ad Suminam dictus est, illustribus natus parentibus, post mortem Beati suscepit Episcopatum Ambianensem, regnante Childeberto. Sanctorum Fusciani, Victorici, et Gentiani corpora tertio ab urbe milliario inventa in basilicam Cathedralem transtulit. Cùm autem apud Portum, optimi Pontificis partes adimpleret, in medio laborum cursu ereptus est, et ibi sepultus. Quo ex loco licet postea translatus fuerit ad majorem Ecclesiam, eò tamen non desinunt peregrini supplices concurrere.

DIE XIX.

In Festo

S. CÆLESTINI PAPÆ.

Simplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis. xj. ⟨526⟩.

Oratio. Da, quæsumus. *ibid.*

In Laudibus fit commemoratio S. Yvonis Presbyteri.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessoris non Pontif.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum deduxit. *ibidem.*

Oratio. Sancti Confessoris. xv. ⟨530⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

CÆlestinus quintus, Petrus de Murone ante pontificatum dictus, piis parentibus ex Apulia oriundus, ab adolescentia desertum petiit. Tanta fuit ejus vitæ asperitas, ut dies fere noctesque animum orationibus et legendo psalterio intenderet; et jejuniis, labore manuum, ac cilicio, adhibitâ etiam catenâ ferreâ, carnem domaret. Cùmque multi ad eum tantæ sanctitatis famâ permoti confluerent, Congregationem Cęlestinorum, sub regula sancti Benedicti, statutis etiam arctioribus additis, instituit. Post mortem Nicolai quarti, cùm sedes Apostolica biennio et ampliùs vacasset, ad pontificatum provectus est: cui se dignitati imparem existimans, post sex circiter menses eam abdicavit, ut rerum divinarum contemplationi liberiùs vacaret: vitamque produxit ad annum usque ætatis octogesimum quartum. Quem miraculis conspicuum Clemens quintus sanctorum numero ascripsit.

In eum diem incidit transitus beati Yvonis Presbyteri, à Clemente sexto, instante Philippo Valesio, inter sanctos relati: qui in Parisiensi et Aurelianensi academia edoctus, Archidiaconi Redonensis primùm, tum Episcopi Trecorensis Officialis, demum Ecclesiæ Lohanetensis Rector factus, singulari in pauperes affectu enituit.

Die xxiv.

In Festo

SS. Donatiani et Rogatiani Martyrum.

Simplex.

Omnia ut in Communi plurium Martyrum. viij. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos concedis. ix. ⟨524⟩.

Ad Primam.

Lectio.

DOnatianus et Rogatianus fratres, Namnetis in Aremorica propter fidei constantiam, persequente Christianos Diocletiano, conjecti sunt in carcerem: unde educti, primùm in equuleo torti, tum catastæ impositi, atque laniati, deinde lancea militari perfossi, postmodum cæsis capitibus martyrium compleverunt. Refert autem Gregorius Turonensis, quòd cùm regnante Clodoveo civitas Namnetica à barbaris obsideretur, post sexaginta dies è basilica ad horum Martyrum tumulum extructa prodire visi fuerint circa mediam noctem viri albis vestibus induti cum cereis ardentibus: qui cum se aliis eodem habitu è basilica sancti Similini procedentibus adjunxissent, simulque orassent; reversi sunt quique per basilicas unde progressi fuerant. Et protinus hostes exterriti castra moverunt: horumque dux Chilo, ea visione perculsus, baptismum suscepit.

Die xxv.

In Festo

S. Urbani Papæ et Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris. v. ⟨522⟩.

Oratio. Infirmitatem. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

URbanus post Callistum Ecclesiam Romanam regendam suscepit, ejusque doctrinâ et exhortationibus multi fidem amplexi sunt, et pro ea martyrium subierunt. Ipse autem pro Ecclesia Dei multa passus, tandem cervice abscissâ, Alexandro Severo imperante, martyrio coronatus, sedem suam Pontiano reliquit.

Die xxviii.

In Festo

S. Germani Episcopi Parisiensis.

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis (xj.) ⟨526⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus sanctorum tuorum splendor mirabilis, qui hunc diem beati Germani Pontificis tui depositione consecrasti, da Ecclesiæ tuæ in ejus natalitio exultanti, ut apud misericordiam tuam exemplis ejus protegamur et meritis: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

GErmanus apud Æduos honestis parentibus natus, à sancto Scopilione propinquo suo educatus est, cum quo ad matutinas preces Ecclesiam mille passus pænè distantem quacunque aëris intemperie adibat. Presbyter à sancto Agrippino ordinatus, ex Monacho per Nectarium Agrippini successorem factus est Abbas Monasterii sancti Symphoriani Augustodunensis. Eusebio Parisiorum Episcopo mortuo suffectus, nihil remisit de vitæ austeritate quam in monasterio egerat. Horâ noctis tertiâ Ecclesiam ingressus, non recedebat ante diluculum, ceteris de clero per tres vigilias sibi vicissim ad psallendum succedentibus. Ita Deo erat intentus, ut de illo semper aliquid conferret in privatis colloquiis; lectiones sacras ad mensam adhiberet; et dum iter ageret, cursum canonicum nudo capite etiam inter equitandum persolveret. Mira ejus in pauperes, maximè verò in servos captivosque redimendos, beneficentia fuit: quod ei Childebertum Regem ita conciliavit, ut ex regio ærario ad pias largitiones ingentem ei pecuniam subministraret. Accersitus à Clotario, qui quòd eum contempsisset à Deo percussus fuerat, illum admotis vestimentis suis sanavit. Charibertum reprehendit qui uxoris sororem duxerat, eique sacris interdixit. Sigebertum, imploratâ etiam per literas Brunichildis uxoris operâ, deterrere conatus est à cæde Chilperici fratris, suisque monitis reluctantem brevi moriturum prædixit. Profectus ad Synodum Bituricensem, in qua Felix est ordinatus, Judæum quemdam Christo lucratus est, ejusque conjugem à dæmone obsessam liberavit, quæ mox una cum multis aliis Judæis Christianam fidem professa est. Augustoduni, in ordinatione Syagrii, Florentino qui postea Matisconensis Episcopus fuit, oculi usum restituit. Parisiis cùm ad basilicam sanctorum Gervasii et Protasii orandi causâ accederet, facto Crucis signo occlusas fores aperuit. Sedit in Concilio Parisiensi tertio et quarto, et in Turonensi secundo. Aliquot ante transitum diebus per Notarium hæc verba Quinto calendas Junias supra lectum suum scribi voluit: quâ die cùm obiisset, apertus est qui latebat verborum sensus. Corpus ejus sepultum est ad sanctum Vincentium in Oratorio sancti Symphoriani; et sub Pippino, in majorem hujus Monasterii basilicam translatum est.

Die xxxi.

In Festo

SS. Cantii, Cantiani, et Cantianillæ, Martt.

Simplex.

Omnia ut in Communi plurium Martyrum, (viij.) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus invisibilis fortitudo certantium, adesto, quæsumus, nobis supplicantibus; ut

qui hodierna die sanctorum Martyrum tuorum Cantii, Cantiani, et Cantianillæ, gloriosum triumphum recolimus, eorum meritis et precibus contra spiritualia nequitiæ muniamur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Petronillæ Virginis.

Antiph. In resurrectione. *de Communi Virginum.* xviij. ⟨533⟩.

℣. Adducentur. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. xvij. ⟨532⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Sermo sancti Maximi Episcopi.

HOdie beatissimorum Cantii, Cantiani, et Cantianillę, natalis est, de quibus refert historia, eos, cùm persecutor inquireret, ascenso vehiculo junctis mulabus secedere voluisse; et cùm non longè ab urbis mœnibus iter agerent, unum animal de subjunctis subitò corruisse, atque ita illos à persecutoribus comprehensos, tentos ad pœnam. Ergo, cùm beatos persecutor urgeret, vehiculum conscenderunt. Quâ causâ? Ut fugerent? Absit. Non ut fugerent, sed ut ad martyrium citiùs pervenirent: non ut latitarent, sed ut Christianos se cunctis transeuntibus manifestiùs approbarent. Ceterùm occultiùs inter plures in civitate latere potuerunt; tutiùs per diversa singuli fugæ præsidium commendare. Ubi quis congregatione habitâ, stratis vehiculis, apparatu disposito, per aggerem publicum egreditur; illic non fuga dicenda est, sed profectus. Sancti viri, hoc facto velut in triumphali curru positi, contestabantur dicentes: Ecce, persecutor, ecce proficiscimur; ecce præcedimus: quid resides? quid moraris? subsequere nostra vestigia: nolumus enim videri inviti duci ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

FESTA JUNII.

Die 1.

In Festo

SS. Martyrum

Pothini Episcopi, Blandinæ Virg. et Socior.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. viij. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos annuâ. ix. ⟨525⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Ex Epistola Ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis, ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ.

Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. 5 *c.* 1.

POthinus Lugdunensis Episcopus nonagenario major, ob corporis infirmitatem vix spiritum trahens, sed præ cupiditate martyrii mira alacritate firmatus, ad tribunal trahebatur. Quò perlatus, prosequentibus ipsum magistratibus civitatis, et universâ plebe variis eum clamoribus impetente tamquam ipse Christus esset

egregium edidit testimonium. Interrogatus à Præside, quisnam esset Christianorum Deus, respondit: Si dignus fueris, cognosces. Post hæc inhumanè raptatus, et innumeris plagis affectus est: cùm ii quidem qui propiùs astabant, calcibus et pugnis illum contumeliosè appeterent; qui verò longiùs distabant, quicquid ad manum erat in ipsum conjicerent; omnes denique gravissimi piaculi reos se existimarent, nisi quisque ei petulanter insultaret; quippe hoc modo injuriam deorum suorum ulturos se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans in carcerem projectus est; tandemque post biduum animam exhalavit. Maturus verò Neophytus, et Sanctus Diaconus Viennensis, cum Blandina ancilla et Attalo, ducti sunt ad bestias in amphitheatrum. Et Maturus quidem ac Sanctus consueta illic flagrorum verbera pertulerunt, et bestiarum ipsos trahentium morsus, ipsam postremò ferream cathedram, cui superposita Martyrum membra cùm torrerentur, illorum nares molestissimus nidor implebat. Hi ergo maximo certamine perfuncti, tandem jugulati sunt. Blandina autem ad palum suspensa, bestiis objecta est. Quæ cùm in crucis speciem suspensa cerneretur, maximam alacritatem addebat certantibus, qui sub sororis persona cernerent illum qui pro ipsis crucifixus fuerat. Cúmque nulla tunc bestia corpus ejus attigisset; deposita ex stipite, rursus in carcerem conjicitur, in aliud certamen reservata. Attalus quoque cùm per amphitheatrum circumduceretur, præcedente ipsum tabellâ in qua latino sermone inscriptum erat, Hic est Attalus Christianus; Præses postquam civem Romanum eum esse comperit, reduci in custodiam cum ceteris jubet, literis ad Cæsarem datis de his qui inclusi tenebantur. Ineunte igitur solemni apud nos mercatu, Præses adduci jussit Martyres ad tribunal, tamquam in theatrali pompa eos populis ostentans. Cúmque illos denuò interrogasset; quicumque cives Romani reperti sunt, eos capite truncavit; reliquos tradidit bestiis. Ceterùm ingens gloria accessit Christo per eos qui priùs quidem negaverant, tunc verò confitebantur fidem. Quibus examini subjectis, Alexander Phryx medicus, plures jam annos moratus in Galliis, cùm illos ad fidei confessionem nutibus hortaretur, cunctis qui tribunal circumdabant tamquam parturiens videbatur. Instans illicò Præses, interrogavit eum quis esset. Qui cùm Christianum se esse dixisset; eum ad bestias damnavit. Postridie igitur unà cum Attalo ingressus est; nam et hunc Præses bestiis iterùm tradiderat. Ambo itaque cùm omnia pœnarum genera in amphitheatro sustinuissent, gladio percussi sunt. Ultimo tandem spectaculorum die Blandina rursus illata est, unà cum Pontico adolescente quindecim circiter annos nato. Et Ponticus quidem cuncta supplicia generosè perpessus, emisit

spiritum: beata verò Blandina, post flagra, post bestias, post sartaginem, reticulo inclusa, tauro objecta est; à quo diu in altum jactata, tandem et ipsa, victimæ instar, jugulata est.

In secundis Vesperis fit commemoratio SS. Marcellini, Petri, et Erasmi, Martyrum.

Antiph. Istorum est. *de communi plurium Martyrum.* ix. ⟨524⟩.

℣. Lætamini. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos concedis. *ibidem.*

Die II.

In Festo

SS. Marcellini, Petri, et Erasmi, Martyrum.

Simplex.

Omnia ut in communi plurium Martyrum. viij. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos concedis. ix. ⟨524⟩.

Ad Primam.

Lectio.

PEtrus Exorcista, Diocletiano Imperatore, Romæ à Sereno judice propter Christianæ fidei confessionem missus in carcerem, Paulinam Artemii, qui carceri præerat, filiam à dæmone agitatam liberavit. Quo facto, et parentes puellæ cum tota familia, et vicinos qui ad rei novitatem concurrerant, Jesu Christo conciliatos, ad Marcellinum Presbyterum adduxit, à quo omnes baptizati sunt. Quod ubi rescivit Serenus, Petrum et Marcellinum ad se vocatos asperiùs objurgat, et ad verborum acerbitatem minas et terrores adjungit, nisi Christo renuntient. Cui cùm Marcellinus Christianâ libertate responderet; pugnis contusum, et à Petro sejunctum, nudum includit in carcerem stratum vitri fragmentis, sine cibo ac sine lumine. Petrum item constringi imperat arctissimis vinculis. Sed cùm utrique ex tormentis fides et animus cresceret; abscisso capite, illustre testimonium Jesu Christo dederunt.

Erasmus Episcopus, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, in Campania plumbatis et fustibus cæsus, multisque aliis affectus suppliciis, cùm plurimos constantiâ suâ et in fide confirmasset, et ad fidem convertisset, insignem martyrii palmam adeptus est.

Die III.

In Festo

S. Clotildis Reginæ.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Mulierum sanctarum, (xix.) ⟨534⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.

Oratio.

REspice, quæsumus, Domine ad Francorum benignus imperium; et quibus per devotam sanctæ Clotildis instantiam donum fidei contulisti, iisdem per ejus intercessionem tribue sincerum pietatis affectum: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. In me ancillâ suâ adimplevit Dominus misericordiam suam.

Ad Primam.

Lectio.

CLotildis, Chilperici filia, post parentum necem à patruo Gundobaldo Burgundionum Rege educata, Clodoveo adhuc ethnico ab ipso Gundobaldo in conjugem tradita est. Quæ cùm primogenitum peperisset, eum, tolerante magis quàm approbante Clodoveo, baptizari jussit. Cùm autem infantis, cui nomen impositum fuerat Ingomeres, in albis extincti, mortem ægrè ferret Clodoveus, ac baptismo imputaret graviter ; Clotildem objurgavit, asserens deos patrios, ob contemptum numinis sui iratos, sibi filium eripuisse. At illa, Deo, inquit, omnipotenti, creatori omnium, gratias ago, qui me non usquequaque judicavit indignam ut de utero meo genitum regno suo dignaretur ascire. Alterum filium Regina cùm genuisset, hunc quoque baptizari voluit ; et appellatus est Clodomeres. Qui cùm ægrotare cœpisset, affirmante Rege fore ut idem ei quod fratri contingeret, matris precibus convaluit. At Regina non cessabat hortari virum, ut abjectâ idololatriâ, unum ac trinum Deum coleret : sed ille superstitioni Francorum adhæsit ; donec in expeditione Alamannica, inclinatam cernens suorum aciem, monitorum conjugis memor, auxilio Christi implorato, de hostibus triumphavit. Cui apud Remos læta uxor occurrens, ubi ordinem rei gestæ cognovit, advocavit sanctum Remigium, à quo Clodoveus, fidem edoctus, baptizatus est, et chrismate sacro inunctus. Post mortem Clodovei Turonos adiit Clotildis ; ibique ad sepulcrum† et Parisios inter psallentium choros translata, sepulta est à filiis Childeberto et Clotario Regibus, ad latus Clodovei, in sacrario basilicæ sancti Petri, ubi sancta Genovefa quiescit.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, alleluia.

Die vi.

In Festo

S. Norberti Episcopi.

Simplex.

Omnia ut in Communi Pontificum. xj. ⟨527⟩.

Oratio. Exaudi . *ibidem*

Ad Primam.

Lectio.

NOrbertus, Sanctis, Cliviæ oppido in diœcesi Coloniensi, nobili prosapia ortus, relictâ Imperatoris aulâ, in Clerum ascriptus est. Sacris Diaconatûs et Presbyterii Ordinibus uno die initiatus contra Canones (qua de re veniam postea petiit à Gelasio secundo) prædicationi totum se dedit. Abdicatis Beneficiis Ecclesiasticis quibus abundabat, et patrimonio pauperibus erogato,

austeriorem vitam amplexus est. Innumeros hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, dissidentes ad concordiam revocavit. Cùm esset Lauduni, à Bartholomæo Episcopo rogatus ne ab ipsius diœcesi discederet, desertum in ea locum, qui Præmonstratus dicebatur, sibi delegit, ex quo totus Ordo, quem ibi sub regula sancti Augustini instituit, nomen accepit. Sacramentariam et Adamiticam Tanchelini hæresim Antuerpiæ grassantem, eò vocatus profligavit: et qui multò ante oblatum sibi Cameracensem Episcopatum recusaverat, ad Magdeburgensem Archiepiscopatum postea raptus, Ecclesiasticam disciplinam, præsertim cælibatum, constanter propugnavit. Remis in Concilio Innocentium secundum egregiè adjuvit; et Romam cum aliis Episcopis profectus, schisma Petri Leonis compressit, Innocentio suæ sedi reddito. Exactis in Pontificatu annis ferè octo, abiit ad Dominum, anno millesimo centesimo trigesimo quarto; huncque Gregorius decimus tertius anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo in sanctorum ordinem retulit.

DIE VIII.

In Festo

S. MEDARDI EPISCOPI.

Simplex.

Omnia ut in Communi Pontificum. xj. ⟨527⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio S. Gildardi Episcopi.

Antiph. Dedit illi Dominus sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.

℣. Tu es sacerdos in æternum,

℟. Secundùm ordinem Melchisedech.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Gildardi Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

MEdardus apud Salentiacum in pago Viromanduensi natus, à parentibus piè institutus, oblatus est Viromanduensi Episcopo ut in Clericorum numerum ascriberetur. Crescentibus cum ætate meritis et doctrinâ, ad altiores gradus ascendit. Presbyter consecratus, Viromanduorum Episcopatum, multorum assiduis precibus victus, regendum suscepit; ac sedem, eò quòd Augusta Viromanduorum à Vandalis et Hunnis eversa esset, Noviomi in oppido munito collocavit. Interim sanctus Eleutherius Tornacensis Episcopus moritur. Post cujus exequias, cùm Clerus et populus Tornacensis, Medardum sibi dari Episcopum postulassent, sancto Remigio ceterisque provinciæ Episcopis annuentibus, Rege et proceribus sua auctoritate rem promoventibus, utriusque Ecclesiæ curam suscepit, Episcopalis sedis honore utrique servato; quamvis Tornacenses ab eo tempore usque ad Simonem per annos

circiter sexcentos, non alios quam Noviomenses Episcopos habuerint. Flandros, gentem tunc ferocem, convertit ad Christum. Obiit anno salutis quingentesimo quinquagesimo sexto; eumque Clotarius summo cum honore apud Suessionas sepeliri jussit, et basilicam ad ejus tumulum cœpit ædificare, quam Sigebertus filius ejus absolvit et ornavit.

Die x.

In Festo

S. Landerici Episcopi.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus, qui beatum Landericum Confessorem tuum atque Pontificem misericordiæ visceribus implevisti, quæsumus, ut quem pauperum patrem tuâ gratiâ effecisti, benignum pro nobis intercessorem jugiter esse largiaris; Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

LAndericus in Episcopatu Parisiensi successor Audoberto datus est, Clodoveo secundo Rege. Inter ceteras quibus enituit boni pastoris dotes, præcipuo erga pauperes misericordiæ affectu commendabilis fuit. Annonæ penuriâ populum affligente, omnem privatam supellectilem, ipsa etiam sacra vasa, in eorum subsidium distraxit, erogatâ singulis panis alimoniâ aliisque ad vitam necessariis. Traditur et juxta Cathedralem Ecclesiam sanctæ Mariæ, Nosocomium primus ædificasse, quod Domus Dei dicitur; illudque censu, quo potuit, dotasse. Ejus jussu Marculfus, in diœcesi Parisiensi Monachus, formulas veteres, hoc est instrumenta statis solemnibusque verbis concepta, et antiquitus in utraque jurisdictione, ecclesiastica nimirum et civili, usurpari solita, collegit, novas composuit; easque omnes duobus libris complexus, illi dedicavit. Postulante Clodoveo, Monasterio sancti Dionysii privilegium indulsit libertatis ab omni debito et redditione circadarum et synodorum. Demum consummatis laboribus, migravit in cælum; et sepultus est in basilica sancti Vincentii, modò dicti sancti Germani Autissiodorensis, olim sancti Germani Teretis. Subrogatus est illi Chrodobertus, ad quem sanctus Audoënus libros de vita sancti Eligii, quos scripserat, transmisit corrigendos. Post multos annos, Mauricius, dictus de Solliaco, Landerici corpus in capsa lignea condidit: quam vetustate consumptam reseravit Petrus de Ordeimonte Parisiorum Episcopus, anno millesimo quadringentesimo octavo, decimo sexto calendas Octobris; reperitque in ea cum ossibus et pulvere corporis, vestimentis ac linteaminibus, schedam in hæc verba conscriptam; Hæc sunt ossa beatissimi Landerici Parisiensis Episcopi, hîc reposita à venerabili Mauricio Parisiensi Episcopo, et Remigio hujus Ecclesiæ Decano,

anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, regnante Ludovico qui duxit exercitum in Jerusalem, summo Pontifice Alexandro. Sed et duas alias schedulas; quarum quæ vetustior et pæne corrosa, hæc verba continebat: Sancti Landerici Episcopi. Hinc Petrus ossa duo distracta Ecclesiæ Parochiali sancti Landerici donavit: cætera verò in capsa argentea, præmisso benedictionis ritu, reposuit, præsentibus Ludovico Duce Burbonis, Prælatorumque, militum, ac populi magnâ multitudine; ipsamque clausam ponè majus altare, habitâ solemni processione, collocavit.

DIE XI.

In Festo

S. BARNABÆ APOSTOLI.

Duplex minus.

Omnia ut in Communi Apostolorum, (j.) ⟨518⟩ *præter ea quæ sequuntur.*

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Magnificat Antiph. Cum haberet agrum Barnabas, vendidit eum; et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.

Oratio. Deus qui nos. *ut infrà ad Laudes.*

Fit commemoratio S. Landerici.

Antiph. Dedit illi. *de Communi Pontificum.* xiij. ⟨529⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Deus qui beatum Landericum. *ut in die præcedenti.*

AD LAUDES.

Ad Benedictus Antiph. Barnabas hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino; quia ipse erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto et fide.

Oratio.

DEus qui nos beati Barnabæ Apostoli tui meritis et intercessione lætificas, concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur; Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

BArnabas, qui et Joseph, Levites, Cyprius genere, agro vendito quem possidebat, pretium attulit ad pedes Apostolorum: ad quos et postea Paulum adduxit recens conversum. Jerosolymis Antiochiam missus ab Ecclesia, quæ acceperat quosdam ibi discipulos Dominum Jesum Græcis annuntiasse, cùm vidisset gratiam Dei, gavisus est, et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Profectus est inde Tarsum ut quæreret Paulum; quem cùm invenisset, perduxit Antiochiam: et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia, et docuerunt turbam multam; ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli, Christiani. Ortâ fame ab Agabo prædictâ, collectas eleemosynas ad fratres in Judæa habitantes cum Paulo detulit. Quo expleto ministerio reversi sunt, assumpto Joanne cui cognomen erat Marcus.

Cùm autem Antiochiæ in Ecclesia cum cæteris Prophetis et Doctoribus ministrarent Domino, et jejunarent; dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Itaque Seleuciam venerunt, inde in Cyprum; ac multas præterea urbes regionesque peragrarunt, prædicantes Evangelium, et constituentes per singulas Ecclesias Presbyteros. Cùm autem Lystris propter claudum à Paulo sanatum pro diis haberentur, vocarentque turbæ Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium; vix deterruerunt turbas ne sibi immolarent. Reversi Antiochiam, ortâ ibi seditione propter Judæos qui volebant gentes ad Deum conversas circumcidi, rem ad Apostolos retulerunt; qui in Concilio Jerosolymitano super ea re decretum statuerunt, remiseruntque eos ad Ecclesiam Antiochiæ, adjunctis Judâ et Silâ, scribentes per manus eorum. Postremò Barnabas digressus à Paulo, unà cum Marco, navigavit in Cyprum. Multis demum perfunctus pro Christo laboribus, glorioso fine quievit. Corpus ejus in insula Cypro, Zenone imperante, repertum est, ad cujus pectus erat Evangelium Matthæi, ipsius Barnabæ manu conscriptum.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Magnificat Antiph. Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, alleluia.

Fit commemoratio SS. Basilidis et sociorum Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi:

℟. Et gloriamini omnes rècti corde.

Oratio. Sanctorum. *ut in die sequenti.*

DIE XII.

In Festo

SS. BASILIDIS, CYRINI, NABORIS, ET NAZARII,

Martyrum.

Simplex.

Omnia ut in Communi plurium Martyrum, (ix.) <524> *præter Orationem.*

Oratio.

SAnctorum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris, atque Nazarii, quæsumus, Domine, natalitia nobis votiva resplendeant: et quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ devotionis accrescat: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

BAsilides, Cyrinus, Nabor, et Nazarius, Romani milites, cùm Christum prædicarent, ab Aurelio Præfecto comprehensi, et ut diis sacra facerent admoniti, ejus jussa contemnentes missi

sunt in carcerem. Quibus orantibus, cùm subitò clarissima lux carcerem collustrasset; eo cælesti splendore perculsus Marcellus custodiæ præpositus, multique alii, Christo crediderunt. Postea è carcere emissi ab Imperatore Maximiano, cùm ejus etiam neglecto imperio, unum Christum Deum et Dominum in ore haberent; scorpionibus cruciati, iterum conjiciuntur in vincula: unde septimo die educti, cùm in irrisione inanium deorum persisterent, securi feriuntur. Horum corpora feris objecta, nec ab illis tacta, à Christianis honorificè sepulta sunt. Ex iis verò corpora sanctorum Naboris et Nazarii, unà cum corpore Martyris Gorgonii, in Galliam transtulit Chrodogangus Metensis Episcopus anno septingentesimo sexagesimo quinto.

Die xiii.

In Festo

SS. Rufini et Valerii Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Mart. (viij.) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Rufini et Valerii natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

RUfinus et Valerius cum Fusciano, Victorico, ceterisque octo sociis, Româ missi sunt in Gallias ad prædicandum Christi Evangelium, Rictio Varo, sub Diocletiano, Belgicæ Rectore. Qui cùm accepisset Rufinum et Valerium in agro Remensi multos ad Christianam fidem convertere; jussit eos ad se adduci, et deprehensos in spelunca vepribus et spinis vallata, in quam declinandæ persecutionis causâ se receperant, catenis vinciri, et in carcerem conjici. Deinde variis blanditiis frustrà tentati, equuleis imponuntur, et plumbatis cæduntur. Tum in carcerem iterum missos Angelus sub auroram invisit, eosque ad martyrium adhortatur. Illucescente die, vinctis post terga manibus ad ripam Vidulæ perducti, Præsidis sententiâ capite plectuntur.

Die xiv.

In Festo

S. Basilii Magni Episc. et Ecclesiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint. *ut in Communi Doctorum.* xiij. ⟨529⟩.

Oratio. Deus qui populo. xiv. ⟨529⟩.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Ad Primam.

Lectio.

BAsilius, Cæsariensis Cappadox, propter doctrinæ et morum excellentiam cognomento Magnus, cum Cæsareæ et Byzantii literis operam dedisset, Athenas venit; ubi cum Gregorio Theologo sanctæ amicitiæ fœdus iniit. Reversus in patriam, Presbyter consecratur. Cùm verò apud Eusebium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum nonnihil offendisse videretur; Monachi vitam acturus, sese in Ponti solitudinem recepit: unde postea, Ecclesiæ calamitatibus permotus, Cæsaream reversus est; et Eusebium in persecutione Valentis Imperatoris Ariani laborantem, in Ecclesiæ administratione adjuvit. In summa annonæ caritate, pauperes Cæsareæ in unum coactos patrimonio sustentavit, et verbi pabulo fovit: quibus postea excipiendis, in suburbio domum construxit. Eusebio inter manus ejus defuncto, annitente Gregorio Gregorii Nazianzeni patre, subrogatus est, et ordinatus quartadecimâ die Junii. Valente iterum in Catholicos sæviente, Modestum ejus Præfectum, extrema sibi minitantem, tantâ libertate repressit, ut perterritus ille dixerit: Nemo me ad hunc usque diem ita allocutus est. Cui Basilius: Neque enim forsitan in Episcopum incidisti. Admiratus tantam animi fortitudinem Modestus, Valentem adit: Imperator, inquit, ab hujus Ecclesiæ Antistite victi sumus: minis superior est, sermonibus firmior, et verborum blanditiis fortior. Cùm igitur Valens, instantibus Arianis, Basilium relegare statuisset, et jam exilii decreto subscripturus esset; manum ejus Deus mirabiliter inhibuit. Modestum, ingravescente morbo, ut sibi ignosceret deprecantem, sanitati restituit. Viduam, quæ ne ab assessore judicis ad nuptias invita pertraheretur, ad sacram mensam confugerat, tutatus est. Morem gerens Athanasio, juxta Episcoporum Macedoniæ et Achaiæ exemplum, Arianos ad Ecclesiam redeuntes admisit, dummodo fidem Nicænam profiterentur. Quos inter, cùm Eustathium Sebastenum, subdolum hæreticum, recepisset; multis, præsertim Occidentalibus, qui ejus facilitate commovebantur, facti sui rationem per literas reddidit. Arianis accusantibus quòd ad Apollinarem scripsisset, plurimisque fidelibus ab ejus communione propterea recedentibus, factum excusavit, quòd Apollinarem nescisset hæreticum; necdum enim erat ille ab Ecclesia damnatus. Multis aliis petitus calumniis, eas scriptis libellis eluit. Magna quoque illi cum Anthimo Tyanensi contentio fuit, ob divisam in duas Metropoles Cappadociam. Præter necessaria corporis tegumenta nihil habuit. Stratus erat humi lectulus; assiduæ ei vigiliæ; panis et sal pro opsonio, et aqua pro potu: ex qua vitæ asperitate graves morbos contraxit; quibus confectus, diem obiit calendis Januarii has inter voces, In manus tuas commendo spiritum meum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor optime. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Fit commemoratio SS. Viti, Modesti, et Crescentiæ, Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini *ut. suprâ.* 157. ⟨331⟩.

Oratio. Da Ecclesiæ. *ut in die sequenti.*

Die xv.

In Festo

SS. Viti, Modesti, et Crescentiæ, Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (ix.) ⟨525⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DA Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, sanctis tuis Vito, Modesto, atque Crescentiâ, intercedentibus, superbè non sapere, sed tibi placitâ humilitate proficere; ut prava despiciens, quæcumque recta sunt liberâ exerceat charitate : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

VItus puer, à patre, quo inscio baptizatus fuerat, de abneganda fide frustrâ tentatus, Angeli admonitu, comitibus Modesto et Crescentiâ à quibus educatus fuerat, è Sicilia in Lucaniam trajecit. Ubi cùm miraculis inclaresceret; accersitus à Diocletiano, nec præmiis ullis nec minis adduci potuit ut deos coleret. Quare Imperatoris jussu, Vitus, Modestus, et Crescentia, in ollam plumbo liquato plenam primùm demissi, tum leoni objecti, ubique divinâ virtute illæsi, martyrium tandem in catasta consumaverunt. Multo pòst tempore, regnante Pipino, vir quidam pius cum Fuldrado sancti Dionysii Abbate Romam profectus, sancti Viti corpus inde Parisios asportavit; illudque in Ecclesia, quam in prædio suo prope Luparam sub ejus construxit nomine, collocavit; prædiumque illud unà cum Basilica Monasterio sancti Dionysii donavit. Anno autem octingentesimo trigesimo sexto, has reliquias Hilduinus Abbas Varino, Corbeiæ in Saxonia Abbati, consentientibus Ludovico Pio Imperatore et Ynchado Episcopo Parisiensi, concessit; præter caput Martyris, quod varia subinde in loca, demum Fossas prope Puteolos, translatum est.

Die xvi.

In Festo

SS. Ferreoli et Ferrutionis Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. viij. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos concedis. ix. ⟨524⟩.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Cyrici et Iulittæ Martyrum.

Antiph. Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt sequuti; et quia

pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

℣. Justi autem in perpetuum vivent:

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio.

PIetatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut dum sanctorum Cyrici et Julittæ matris ejus passionem colimus, peccatorum veniam consequamur: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

FErreolus Presbyter, et Ferrutio Diaconus, à sancto Irenæo Visuntionem missi, cùm multos suâ prædicatione ad fidem converterent, delati sunt Claudio judici quod commoverent plebem et novam doctrinam prædicarent. Ejus igitur jussu comprehensi, et ad trochleas extensi, diutiusque flagellati, cùm in fide Christi perstarent, in carcerem detruduntur. Postridie manè, cùm linguis in pœnam liberæ confessionis amputatis Evangelium prædicare non desinerent; crudelis judex utrique triginta subulas, manibus, pedibus, et pectori infigi, sicque Christo confixos, gladio necari præcepit. Corpora eorum sepulta sunt in crypta, quam in honorem ipsorum fideles salviæ frondibus conspergere postea soliti sunt, per quas sanitatem ægrotis restitutam fuisse, apud Gregorium Turonicum legitur.

Diocletiani Imperatoris tempore, Cyricus triennis puerulus, et Julitta ipsius mater, pro Christo mortem subierunt Tarsi in Cilicia: unde sacræ eorum reliquiæ translatæ sunt cùm in alias Galliarum basilicas, tùm in cathedralem ecclesiam Nivernensem, cui titulum dederunt.

DIE XVII.

In Festo

S. AVITI ABBATIS.

Simplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. xiv. ⟨529⟩.

Oratio. Intercessio. xv. ⟨530⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

AVitus, Aurelianensis, in Arverniam profectus, illic cum sancto Carilefo monasticam vitam in cœnobio Menatensi amplexus est. Inde ambo Miciacum venerunt ad beatum Maximinum, cujus jussu ad presbyteratum promoti sunt. Verùm eremiticæ vitæ desiderio incensi, in Perticensem solitudinem apud Piciacum secesserunt: ubi Clotarius Rex, auditâ Aviti famâ, basilicam et cœnobium construxit. Tum Carilefus Avito relicto, in eremum diœceseos Cenomannensis se contulit: Leobinus autem, qui postea ad Episcopatum Carnutensem assumptus est, cum aliis duobus monachis Euphronio et Rustico venit ad Avitum, cui usque ad ejus mortem adhæsit. Avitus post obitum suum, quem prædixerat, Leobino, qui aliò discesserat, apparuit. Corpore ejus Aurelianis sepulto, basilica super

tumulum ædificata est, anniversariusque assumptionis ejus dies summo cum honore quotannis celebratus: quo die quidam in Sancti contemptum cùm in vinea laboraret, retortâ cervice punitus, ad ejus tumulum flendo et orando sanitatem recuperavit.

Die xviii.

In Festo

SS. Marci et Marcelliani Martyrum.

Simplex.

Omnia ut in Communi plurium Martyrum. viii. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos. ix. ⟨524⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Marinæ Virginis.

Antiph. In resurrectione neque nubent neque nubentur; sed erunt æquales Angelis Dei.

℣. Adducentur Regi virgines post eam:

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio. Deus qui habitaculum. xvij. ⟨532⟩.

Ad Primam.

Lectio.

MArcus et Marcellianus fratres Romani, propter Christianam fidem à Fabiano Duce comprehensi, ad stipitem alligati sunt, pedibus clavis confixis. Quos cum ita alloqueretur judex; Resipiscite miseri, et vosipsos ab his cruciatibus eripite: responderunt; Numquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Jesu Christi causâ perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus. Qui cùm diem noctemque in tormentis divinas laudes occinerent, telis transfixi, ad martyrii gloriam pervenerunt.

Die xix.

In Festo

SS. Gervasii et Protasii Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (viij.) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

MArtyrum tuorum, Domine, Gervasii et Protasii palmas annuâ celebratione venerantes, supplices te rogamus, ut quos cælesti gloriâ sublimasti, nobis perpeti suffragio concedas subvenire: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

GErvasius et Protasius, Vitalis et Valeriæ filii, quorum pater Ravennæ, mater Mediolani, pró Christi Domini fide martyrium subierunt, distributo pauperibus patrimonio domesticos servos libertate donarunt. Quo facto Gentilium sacerdotes immane in illos conceptum odium habebant. Quare cùm Astasius Comes ad bellum proficisci vellet; perdendi pios fratres occasionem se nactos esse rati, Astasio persuadent se à diis admonitos esse, nullo modo eum victorem in bello futurum, nisi

Gervasium et Protasium negare Christum, et sacra diis facere compelleret. Quod cùm illi detestarentur ; Astasius imperavit Gervasium tamdiu cædi dum inter verbera expiraret ; Protasium autem fustibus contusum, securi percuti. Horum corpora Philippus Christi servus clam sustulit, et in suis ædibus sepelivit : quæ postea sanctus Ambrosius Dei monitu inventa, in loco sacro et insigni collocanda curavit, non sine plurimis miraculis, quæ sanctus Augustinus commemorat libro nono Confessionum. Passi sunt Mediolani, decimo tertio Calendas Junii.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio sancti Romualdi Abbatis.

Antiph. Similabo. *de Communi Confessoris non Pontificis.* xv. ⟨530⟩.

℣. Justus germinabit. xiv. ⟨530⟩.

Oratio. Concede. xv. ⟨530⟩.

Die xx.

In Festo

S. Romualdi Abbatis.

Simplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. xv. ⟨530⟩.

Oratio. Concede. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

ROmualdus, Camaldulensis Instituti auctor, Ravennæ nobili genere natus, adolescens in propinquum Classense monasterium secessit. Deinde verò ad Marinum severiore disciplinâ celebrem virum se contulit, ut ad arctam et sublimem perfectionis viam eo duce uteretur. Quâ vivendi ratione, Sergium patrem, multosque illustres viros, ac præter cæteros Urseolum Venetiarum Ducem, et Gradenicum nobilem Venetum, ad humiles eremi casas adduxit. Postea venit in Gallias cum Urseolo, Gradenico, et Marino, secutus Varinum Abbatem qui ex Aquitania in Italiam peregrinationem susceperat : ibique cùm in solitudine prope ejus monasterium annos plures exegisset ; mortuo Urseolo in Italiam cum sociis reversus est, ubi restituit ac mirificè propagavit eremiticam disciplinam. Denique exactis in summa vitæ asperitate centum annis, quievit, anno ætatis vigesimo supra centesimum, Christi millesimo vigesimo septimo. Quinquennio pòst, data est Monachis ab apostolica Sede licentia altaris super corpus ejus construendi ; qui erat eo tempore canonizandi ritus.

Die xxi.

In Festo

S. Leufredi Abbatis.

Simplex.

Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis. xiv. ⟨529⟩.

Oratio. Intercessio. xv. ⟨530⟩.

Ad Primam.

Lectio.

LEufredus, in pago Ebroicens nobili genere ortus, Ebroicis primùm in Monasterio sancti Taurini, tum Carnutis, literis

operam dedit. Reversus in natale solum, construxit Oratorium mulieribus inaccessum, quod reliquiis sanctorum exornavit ; et pueris instituendis, sublevandis egentibus, aliisque piis operibus exercendis incubuit. Tum vitæ solitariæ desiderio flagrans, Bertramnum adiit celebrem sanctitate monachum, et occurrentem in via egenum nudum pallio suo induit. Auditâ famâ beati Sidonii Abbatis prope Rotomagum degentis, ad eum profectus, monasticum ab eo habitum accepit. Postea verò consilio sancti Ansberti Rotomagensis Episcopi patriam repetiit, ut populares suos ab errore ad veritatem revocaret ; et juxta Auturam fluvium eo in loco sedem posuit, in quo sanctus Audoënus crucem defixerat, crucis, quam ibidem in cælo viderat, monimentum. Illic Leufredus cœnobium, et basilicam in honorem vivificæ Crucis, sanctorum Apostolorum, et beati Audoëni ; ac xenodochium, ædificavit. Multis vir sanctus claruit miraculis. Monasterium ab incendio liberavit : immundum spiritum à puella ejecit, adhibitâ aquâ benedictâ : monachum quendam, et Grifonem Caroli Martelli filium, gravi morbo laborantes, sanavit : agrum die dominica excultum, sterilitate damnavit : virgâ fontem elicuit in pago Vindocinensi, cùm ad limina sancti Martini proficisceretur. Præfuit monasterio per annos quadraginta octo, orationibus, vigiliis, labori manuum, et jejuniis intentus ; atque ita studiosus servandæ disciplinæ, ut monachum proprietatis reum sepulturâ ecclesiasticâ privaverit. Tandem correptus febre, missis ad sanctorum Memorias in varia loca Eulogiis, precibus se fidelium commendavit. Imminente morte, extremam noctem consumpsit in Dei laudibus ; persolutâque cum fratribus nocturnâ synaxi, exitum suum munivit perceptione sacramentorum, et inter orandum animam efflavit. Corpus ejus in Ecclesia, quam in honorem sancti Pauli extruxerat, sepultum, deinde in Basilica sanctæ Crucis conditum, denique grassantibus Normannis Luteciam Parisiorum in basilicam sancti Vincenti translatum est.

Die xxii.

In Festo

S. Paulini Episcopi.

Simplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis. xj. ⟨526⟩. *Oratio.* Exaudi. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

PAulinus, consulari et patricio genere natus Hebromagi patrio in oppido ad Garumnam fluvium haud procul à Burdigala, rhetoricis et poëticis artibus ab Ausonio institutus est. Patrimonio peramplo potitus, ac in ipso juventutis flore Consulatum ordinarium consecutus, Therasiam, piam ac locupletem mulierem, uxorem duxit, è qua suscepit filium, qui sub octavum ab ortu diem defunctus est.

Circa annum vitæ suæ trigesimum octavum à Delphino Burdegalensi Episcopo baptizatus, quò impensiùs Deo serviret, relictâ domo, patriâ, cognatione, in Hispaniam secessit, Therasia à viri proposito non dissentiente. Sed cùm virtus ejus latere non posset ; Barcinone, facto in eum multitudinis impetu, Presbyter fuit ordinatus, eâ tamen lege ut Ecclesiæ Barcinocensi non illigaretur, in sacerdotium tantùm Domini, non in locum Ecclesiæ consecratus. Et quidem illum Ambrosius Clero suo ascribere voluit, ut, etsi diversis in locis degeret, ipsius Presbyter censeretur. Reversus in Galliam, facultatibus in egenos distributis, ex opulentissimo, ut sanctus Augustinus scribit, pauperrimus factus est. Inde Mediolanum ad sanctum Ambrosium, hinc Romam, ac demùm Nolam, se contulit : ubi domicilio ad tumulum sancti Felicis constituto, hujus civitatis Episcopatum suscipere coactus est. Cùm postea Nolam vastarent Barbari, ab iis comprehensus, sic tacitus precabatur : Domine, non excrucier propter aurum et argentum ; ubi enim sint omnia mea tu scis. Tandem cùm laterum dolore correptus esset, cubiculum in quo jacebat terræ motu contremuit ; ac paulo pòst animam Deo reddidit. Multa eleganter scripsit versibus et solutâ oratione. Hunc sanctus Martinus discipulis imitandum proponebat, suumque sæculum felix judicabat tantæ fidei virtutisque documento. Hunc et sanctus Augustinus, Dei oraculum ; beatus autem Eucherius, fontem sacræ eloquentiæ et Galliæ peculiare ornamentum appellabat.

Die xxiii.

In Vigilia Nativitatis
S. Joannis Baptistæ.
Simplex.

Officium fit de Feria occurrente, exceptis iis quæ sequuntur.

Ad Laudes.

Post Antiphonam ad Benedictus, dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat ; et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secura perveniat Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Ad Primam.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 1. ⟨*v.* 5–25.⟩

Fuit in diebus Herodis ... auferre opprobrium meum inter homines.

Die xxiv.

IN NATIVITATE

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Solemne minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Ne timeas Zacharia : quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium.

Hymnus.

UT queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solve polluti labii reatum,
Sancte Joannes.
Nuntius celso veniens olympo,
Te patri magnum fore nasciturum,
Nomen, et vitæ seriem gerendæ,
Ordine promit.
Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptæ modulos loquelæ ;
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.
Ventris obstruso recubans cubili
Senseras Regem thalamo manentem ;
Hinc, parens nati meritis, uterque
Abdita pandit.
Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi, compar utriusque nexus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

℣. Fuit homo missus à Deo,
℟. Cui nomen erat Joannes.

Ad Magnificat Antiph. Ecce eris tacens et non poteris loqui usquequò hæc fiant, eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

Oratio.

DEus qui presentem diem honorabilem nobis in beati Joannis Nativitate fecisti, da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ : Per Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Agnum Dei à Joanne demonstratum, venite, adoremus.

Hymnus.

ANtra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti ;
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.
Præbuit hirtum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes ;
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Ceteri tantùm cecinere vatum
Corde præsago jubar affuturum :
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Joanne,
Qui nefas sæcli meruit lavantem
Tingere lymphis.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi compar utriusque nexus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

Antiph. Dominus ab utero vocavit me ; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

℣. Inter natos mulierum non surrexit major

℟. Joanne Baptistâ.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Hymnus.

O Nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens martyr, eremique cultor,
Maxime vatum :

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam ;
Trina centeno cumulata fructu
Te, sacer, ornant.

Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle
Asperum planans iter, et reflexos
Dirige calles :

Ut pius mundi sator et redemptor
Mentibus culpæ sine labe puris
Ritè dignetur veniens sacratos
Ponere gressus.

Laudibus cives celebrant superni
Te, Deus simplex pariterque trine :
Supplices et nos veniam precamur ;
Parce redemptis. Amen.

℣. Iste puer magnus coram Domino.

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Benedictus Antiph. Apertum est os Zachariæ ; et prophetavit, dicens : Benedictus Deus Israël.

Fit commemoratio SS. Agoardi, Agliberti, et sociorum, Martyrum.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

℣. Exultabunt sancti in gloria :

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut populus Christianus Martyrum tuorum Agoardi, Agliberti, et sociorum, temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æternâ; et quod votis celebrat, comprehendat effectu: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Elizabeth impletum est tempus pariendi; et peperit filium.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 1. ⟨*v.* 57–68.⟩

ELizabeth impletum est tempus ... fecit redemptionem plebis suæ.

Ad Tertiam.

Antiph. Audierunt vicini et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa; et congratulabantur ei.

℣. Fuit homo missus à Deo,

℟. Cui nomen erat Joannes.

Ad Sextam.

Antiph. Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum: et scripsit, dicens; Joannes est nomen ejus.

℣. Inter natos mulierum non surrexit major

℟. Joanne Baptista.

Ad Nonam.

Antiph. Posuerunt omnes in corde suo dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

℣. Elizabeth Zachariæ magnum virum genuit,

℟. Joannem Baptistam præcursorem Domini.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim antè Dominum parare vias ejus.

Hymnus. Ut queant. *ut in primis Vesperis.*

℣. Iste puer magnus coram Domino:

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Magnificat Antiph. Puer qui natus est nobis, plusquam Propheta est: hic est enim de quo Salvator ait; Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.

Infra Octavam Nativitatis S. Joannis.

Simplex.

Officium fit ut in die, nisi quòd commemoratio ad Laudes, et Lectio ad Primam, omittuntur. Dominica *infrà Octavam, in primis Vesperis Antiphona ad Psalmos,* Tu puer. *ut in secundis Vesperis diei. De cætero totum Officium fit de Dominica occurrente, ut in Communi per annum, cum commemoratione Nativitatis S. Joannis ad Laudes. Eodem modo fit Officium, si Dominica incidat in ipsam diem Octavam.*

Die xxvi.

Pro commemoratione

SS. Joannis et Pauli Martyrum.

Officium fit de Octava S. Ioannis Baptistæ: Ad Laudes

autem fit commemoratio SS. Ioannis et Pauli Martyrum.

Antiph. Paulus et Joannes dixerunt Terentiano : Si tuus dominus est Julianus, habeto partem cum illo ; nobis alius non est nisi unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, quem ille negare non timuit.

℣. Exultabunt sancti in gloria;

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Joannis et Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides et passio verè fecit esse germanos : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

AD PRIMAM.

Lectio.

JOannes et Paulus fratres Romani, cùm facultatibus à Constantia Constantini filia, cui piè fideliterque servierant, sibi relictis Christi pauperes alerent ; à Juliano Apostata in numerum familiarium suorum invitati, liberè negaverunt se apud eum esse velle, qui à Jesu Christo defecisset. Quibus ille ad deliberandum decem dies præfinit ; ut nisi ad eam diem ei adhærere, et Jovi sacrificare constituerint, sibi moriendum esse certò sciant. Illi intrà id tempus reliqua sua bona distribuerunt pauperibus, quo expeditiores ad Dominum migrare possent, et plures juvarent à quibus in æterna tabernacula reciperentur. Die decima Terentianus prætoriæ cohortis præfectus, ad eos missus cum allata Jovis effigie ut eam venerarentur, Imperatoris mandatum eis exponit ; ut nisi Jovi cultum adhibeant, moriantur. Qui ut erant orantes, responderunt, se pro Christi fide, quem Deum mente et ore venerabantur, non dubitanter mortem subituros. At Terentianus verituș ne, si publicè interficerentur, populus commoveretur ; domi, ubi tunc erant, abscissis eorum capitibus, sexto Kalendas Julii secretò eos sepeliendos curavit ; rumoremque sparsit, Joannem et Paulum in exilium ejectos esse. Verùm eorum mors à spiritibus immundis, qui multorum corpora vexabant, pervulgata est : in quibus Terentiani filius et ipse oppressus à dæmone, ad sepulcrum Martyrum perductus, liberatus est. Quo miraculo et is in Christum credidit, et ejus pater Terentianus, à quo etiam horum beatorum Martyrum vita scripta esse dicitur.

DIE XXVIII.

In Festo

SS. IRENÆI EPISCOPI, ET SOCIORUM MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. viij. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos annuâ. ix. ⟨525⟩.

Ad Laudes fit commemoratio Octavæ Nativitatis sancti Joannis.

Antiph. Apertum est. 169. ⟨341⟩.

℣. Iste puer. *ibidem.*

Oratio. Deus qui præsentem diem. 168. ⟨340⟩.

Deinde fit commemoratio Vigiliæ SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Antiph. Dirige pedes nostros in viam pacis Deus Israël.

℣. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo;

℟. Ut meditarer eloquia tua.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti: Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri de scriptoribus ecclesiasticis. *Cap.* 45.

IRenæus, Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter, à Martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super suo nomine ad Eleutherum Episcopum perfert literas. Postea jam Pothino, propè nonagenario, ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. Scripsit quinque adversùs hæreses libros, et contra Gentes volumen breve, et de disciplina aliud, et ad Marcianum fratrem de apostolica prædicatione, et librum variorum tractatuum, et ad Blastum de schismate, et ad Florinum de monarchia sive quòd Deus non sit conditor malorum, et de octonario egregium commentarium. Feruntur ejus et aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum non facilè debere unitatem collegii scindere: si quidem Victor multos Asiæ et Orientis Episcopos, qui decimâ quartâ lunâ cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia ij qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. Floruit maximè sub Commodo Principe, qui Marco Antonino Vero in imperium successerat.

Die xxix.

In Festo

SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Solemne minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Dixit Jesus Discipulis suis: Vos quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi.

Hymnus.

DEcora lux æternitatis auream
Diem beatis irrigavit ignibus,
Apostolorum quæ coronat Principes,
Reisque in astra liberam pandit viam.

Mundi Magister, atque cæli Janitor,
Romæ parentes, arbitrique Gentium,
Per ensis ille, hic per crucis victor necem,
Vitæ senatum laureati possident.
O Roma felix, quæ duorum Principum
Es consecrata pretioso sanguine:
Horum cruore purpurata, ceteras
Excellis orbis una pulchritudines.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa sæculorum sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum;
℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnificat Antiph. Tu es pastor ovium, Princeps Apostolorum; tibi traditæ sunt claves regni cælorum.

Oratio.

DEus qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium: Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Apostolorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Decora lux. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

℣. Constitues eos Principes super omnem terram:
℟. Memores erunt nominis tui Domine.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Dicit Petro Jesus: Simon Joannis, amas me? Et dixit ei Petrus: Domine, tu nosti omnia: tu scis quia amo te. Dixit ei Jesus: Pasce oves meas.

Hymnus.

BEate pastor Petre, clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita
Aperire terris cælum, apertum claudere.
Egregie doctor Paule, mores instrue;
Et nostra tecum pectora in cælum trahe,
Velata dum meridiem cernit fides,
Et solis instar sola regnat charitas.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa sæculorum sæcula. Amen.

℣. Annuntiaverunt opera Dei:
℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Benedictus Antiph. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.

Fit commemoratio Octavæ sancti Joannis.

Antiph. Apertum est. 169. ⟨341⟩.

℣. Iste puer. *ibidem.*

Oratio. Deus qui præsentem diem. 168. ⟨340⟩.

Ad Primam.

Antiph. Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

Lectio.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Cap.* i.

SImon Petrus, filius Joannis, provinciæ Galilææ vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, et Princeps Apostolorum ; post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, et prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia, et Bithynia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit ; ibique viginti-quinque annis cathedram sacerdotalem ténuit, usque ad ultimum annum Neronis, id est, decimum quartum ; à quo affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum quòd crucifigeretur ut Dominus suus. Sepultus Romæ in Vaticano juxta viam Triumphalem, totius orbis veneratione celebratur.

Ad Tertiam.

Antiph. Argentum et aurum non est mihi ; quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum :

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Sextam.

Antiph. Dans Petrus manum Tabithæ, erexit eam : et cùm vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam.

℣. Constitues eos principes super omnem terram :

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Nonam.

Antiph. Misit Dominus Angelum suum, et liberavit me de manu Herodis, alleluia.

℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus :

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tu es Petrus ; et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Hymnus. Decora lux. *ut in primis Vesperis.*

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat Antiph. Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum, alleluia : hodie clavicularius regni gaudens migravit ad Christum ; hodie Paulus Apostolus lumen orbis terræ,

inclinato capite, pro Christi nomine martyrio coronatus est, alleluia.

Infra Octavam SS. Apostolorum.

Simplex.

Omnia ut in die, præter ea quæ sequuntur.

Ad Matutinum.

Antiph. Annuntiabunt gloriam meam Gentibus, et adducent ex eis donum Domino.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

Ad Benedictus Antiph. Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

Ad Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Isti sunt duo filii splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ.

Ad Magnificat Antiph. Petrus Apostolus et Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

DOMINICA infrà Octavam, in primis Vesperis Antiphona ad Psalmos Isti sunt. *ut in Vesperis infrà Octavam. De cætero totum Officium fit de Dominica occurrente, ut in Communi per annum, cum commemoratione SS. Apostolorum ad Laudes per Antiphonam* Gloriosi etc. *ut infrà in die prima Julii ad Laudes. Eodem modo fit Officium, si Dominica incidat in ipsam diem Octavam.*

Die xxx.

Pro commemoratione

S. Pauli Apostoli.

Duplex minus.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Apostolorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus.

SAt, Paule, sat terris datum :
Post multa te certamina,
Cursu peracto, debita
Corona jam cælo manet.
Heu quot periclis naufragus,
Soloque jactatus minis !
Heu saxa, virgæ, compedes,
Heu damna, curæ, funera.
Nunc ille confixum suæ
Qui te cruci dudum tenet,
Te Christus et flagrans amor
Delibat ; et lucrum est mori.
Materna sed te viscera
Strictis coarctant nexibus ;
Dulcesque te, quos parturis,
Patrem revellunt filii.
Frustrà : paratus nam tibi
Finis laboris ardui
Mercesque ; bis senos thronus
Te poscit inter judices.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

Antiph. Per Jesum Christum mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℣. Segregavit me Dominus ex utero matris meæ ;

℟. Ut evangelizarem illum in gentibus.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Placeo mihi in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo.

Hymnus.

SUdore sat tuo fides
Crucisque crevit gloria ;
Multoque per te fœnore
Impleta Christi Passio.
Per sacra sese jam tuæ
Impressa carni stigmata,
Suoque totum spiritu,
In te Magister exprimit.
Sic Paule non vivis ; loquens
Sed ipse Christus in tuo
Agensque vivit pectore :
Sat ergo, sat terris datum.
Audita quondam tertio
Arcana cælo, nunc tibi
Fruenda se pleno palam
De fonte produnt luminis.
Hinc lacte verbi nos tui
Ciboque faxis crescere ;
Christumque tritos ; quâ doces
Præisque, per calles sequi.
Hoc præstet almo cum Patre
Natoque nobis Spiritus ;
Tres, numen unum ; cui decus
Virtusque sit per sæcula.
Amen.

℣. Tu es vas electionis sancte Paule Apostole :

℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Ad Benedictus Antiph. Ego non solùm alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu.

Oratio.

DEus qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da, quæsumus, ut cujus natalitia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus : Per Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio S. Petri.

Antiph. Tu es pastor ovium, Princeps Apostolorum ; tibi traditæ sunt claves regni cælorum.

℣. Tu es Petrus :

℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Oratio.

DEus qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cælestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio à peccatorum nostrorum nexibus liberemur ; Qui vivis et regnas Deus. *Resp.* Amen.

Deinde fit commemoratio sancti Joannis Baptistæ.

Antiph. Apertum est. 169. ⟨341⟩.

℣. Iste puer. *ibidem.*

Oratio. Deus qui præsentem diem. 168. ⟨340⟩.

Ad Primam.

Antiph. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, In Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.

Lectio.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Cap.* 5.

PAulus Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Benjamin et oppido Judææ

Gischalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigravit : à quibus ob studia legis missus Jerosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, cujus Lucas meminit, eruditus est. Cùm autem interfuisset neci martyris Stephani, et acceptis à Pontifice templi epistolis ad persequendos eos qui Christo crediderant, Damascum pergeret revelatione compulsus ad fidem, quæ in Actibus Apostolorum scribitur, in vas electionis de persecutore translatus est. Cùmque primùm ad prædicationem ejus Sergius Paulus, Proconsul Cypri, credidisset ; ab eo, quòd eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus : et juncto sibi Barnaba, multis urbibus peragratis, revertensque Jerosolymam, à Petro Jacoboque et Joanne gentium Apostolus ordinatur. Et quia in Actibus Apostolorum plenissimè de ejus conversatione scriptum est, hoc tantùm dicam, quòd post Passionem Domini vicesimoquinto anno, id est secundo Neronis, eo tempore quo Festus Procurator Judææ successit Felici, Romam vinctus mittitur ; et biennium in liberâ manens custodiâ, adversùs Judæos de adventu Christi quotidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione (necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera quanta de eo narrant historiæ) Paulum à Nerone dimissum, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum. Hic decimoquarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est viâ Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo.

AD TERTIAM.

Antiph. Ego libentissimè impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.

℣. Segregavit me Dominus ex utero matris meæ,

℟. Ut evangelizarem illum in gentibus.

AD SEXTAM.

Antiph. Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.

℣. Vocavit me Dominus per gratiam suam,

℟. Ut revelaret Filium suum in me.

AD NONAM.

Antiph. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.

℣. Positus sum ego prædicator et Apostolus,

℟. Doctor gentium in fide et veritate.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Mihi vivere, Christus est ; et mori, lucrum.

Hymnus. Sat Paule. *ut in primis Vesperis.*

℣. Tu es vas electionis sancte Paule Apostole,

℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Ad Magnificat Antiph. Sancte Paule Apostole, prædicator veri-

tatis et doctor gentium, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit.

Fit commemoratio Octavæ S. Joannis Baptistæ.

Antiph. Præcedet ante Dominum, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum.

℣. Fuit homo missus à Deo.

℟. Cui nomem erat Joannes.

Oratio. Deus qui beatum. *ut in Laudibus diei sequentis.*

FESTA JULII.

Die 1.

In Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Semiduplex.

Omnia ut in die, (168.) ⟨340⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. In die octavo venerunt circumcidere puerum ; et vocabant eum nomine patris sui Zachariam : et mater ejus dixit : Nequaquam ; sed vocabitur Joannes.

Oratio.

DEus qui beatum Joannem tuâ providentia destinasti, ut plebem perfectam Unigenito tuo præpararet, da ut familia tua hujus intercessione præconis, ad eum, quem prophetavit, pervenire mereatur Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate etc.

Fit commem. SS. Apostolorum.

Antiph. Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Oratio.

DEus qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium : Per Christum Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio sancti Theobaldi Confessoris.

Antiph. Domine, quinque talenta tradidisti mihi ; ecce alia quinque superlucratus sum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas :

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Theobaldi precibus, ab omnibus semper tueamur adversis : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Pro S. Theobaldo.

THeobaldus Pruvini Arnulfo et Guisila ex stirpe Comitum Campaniæ natus, adolescens relictis parentibus vitam eremiticam egit. Ut autem liberiùs Deo inserviret, patrium solum deserens, in Italiam profectus est ; et monachus Camaldulensis apud

Vicetiam factus, intra colles hujus regionis vitam asperam duxit, ibique tamdiu commoratus est dum Vangaditiam se contulit, ubi multis qui ad eum confluebant sanctissimè præfuit: ac demum ætate confectus ibidem migravit ad Christum anno millesimo centesimo sexagesimo septimo.

Die II.

In Festo

Visitationis B. Mariæ Virginis.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

Hymnus.

Hunc diem festum veneremur omnes,
Quo Deus nostrum miseratus ævum,
Cum novis signis oriens ab alto
Visitat orbem.

Cesset humani generis querela:
Virginis claustrum subiit redemptor;
Girat et cælum recubans sub arcto
Tegmine matris.

Ut suo felix utero Maria
Sentit æternam sobolem recludi,
Transilit montes gravidata digno
Munere Virgo.

Vix in occursu gravidam salutat
Cui priùs durum sterilem vocari;
Ipse cùm clausus genitricis alvo
Subsilit infans.

Parvulus miles dominum salutat,
Et suum complet dominus clientem;
Phosphorus tandem rutilat propinqui
Lumine Solis.

Quod Prophetarum chorus omnis olim,
Quodque tot Reges cupiere, matris
Viscerum clausus latebris Joannes
Percipit infans.

Qui paras talem Deus alme terris,
Ut tuo Christo præeat lucernam,
Hunc chorum turmis, precibus Mariæ,
Junge superbis. Amen

℣. Ave Maria gratiâ plena:
℟. Dominus tecum.

Ad Magnificat Antiph. Beata quæ credidisti: perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Oratio.

Adesto Ecclesiæ tuæ misericors Deus, et filios adoptionis jugiter in ejus sinu purifica, qui Mariæ clausus utero Joannem in sinu Elizabeth sanctificasti, Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Fit commemoratio Octavæ sancti Joannis Baptistæ.

Antiph. Puer crescebat et confortabatur, et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ.

℣. Iste puer magnus coram Domino :

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio. Deus qui beatum. *ut suprà ad Laudes.* 179. ⟨350⟩.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Visitationem Virginis Mariæ celebremus ; Christum ejus filium adoremus Dominum.

Hymnus. Hunc diem. *ut suprà ad Vesperas.*

Antiph. Ostende mihi faciem tuam ; sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

℣. Benedicta tu in mulieribus :

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Ecce Elisabeth cognata tua concepit filium in senectute sua ; et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis.

Hymnus.

CEteri numquam nisi vagiendo
Primitùs vocem pueri profundunt :
Unus in cunctis alacris Joannes
Prævenit ortum.
Hunc sibi nondum genitum sacravit
Patris æterni Genitus prophetam :
Spiritu gaudens canit hinc futura
Utraque mater.
Ecce quàm fructu genitrix utroque
Digna ! quàm fructus genitrice dignus !
Hæc Deum virgo ; sterilis recondit
Illa Prophetam.
Fac tuos puris hodie clientes,
Virgo, perlustret radiis Redemptor
Ille, quem prodit nova nascituro
Gratia Vati.
Qui paras talem Deus alme terris
Ut tuo Christo præeat lucernam,
Hunc chorum turmis precibus Mariæ
Junge supernis. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genetrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus Antiph. Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudeo† infans in utero meo, alleluia.

Fit commemoratio SS. Apostolorum.

Antiph. Gloriosi. *ut suprà.* 179. ⟨350⟩.

℣. Annunciaverunt. *ibidem.*

Oratio. Deus qui hodiernam diem. *ibidem.*

Deinde fit commemoratio sanctorum Processi et Martiniani.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

DEus qui nos sanctorum tuorum Processi et Martiniani gloriosis confessionibus circumdas et protegis, da nobis et eorum imitatione proficere et intercessione gaudere: Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Primam.

Antiph. Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 1. ⟨*v.* 39–47⟩.

IN illo tempore: Exurgens Maria abiit ... Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Ad Tertiam.

Antiph. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

℣. Ave Maria, gratiâ plena:

℟. Dominus tecum.

Ad Sextam.

Antiph. Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus; et repleta est Spiritu sancto, alleluia.

℣. Benedicta tu in mulieribus:

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Nonam.

Antiph. Exclamavit voce magnâ Elisabeth, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

℣. Beata quæ credidisti.

℟. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Unde hoc mihi ut veniat ad me mater Domini mei.

Hymnus. Hunc diem. *ut in primis Vesperis.*

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat Antiph. Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ: ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Die iv.

In Translatione S. Martini Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩ *præter Orationem.*

Oratio. Deus qui populo tuo. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Apostolorum.

Antiph. Gloriosi etc. 179. ⟨350⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro sancti Gregorii Turonensis de Miraculis sancti Martini. *Lib.* 1 *cap.* 6.

ANno sexagesimo quarto post transitum gloriosi domni Martini, beatus Perpetuus Turonicæ sedis cathedram sortitus est dignitatis: adeptusque hunc apicem cum votorum magno

consensu, fundamenta templi ampliora quàm fuerant, super beata membra locare disposuit. Adveniente ergo optato tempore sacerdoti ut templum dedicaret et sanctum corpusculum à loco ubi sepultum fuerat transferret, convocavit beatus Perpetuus ad diem festum vicinos Pontifices, sed et Abbatum ac diversorum Clericorum non minimam multitudinem. Et quia hæc in Kalendis Julii agere volebat, vigilatâ unâ nocte, facto manè, accepto sarculo terram quæ super sanctum erat tumulum cœperunt effodere. Quo detecto, manus ut eum commoverent injiciunt; ibique multitudo tota laborans, nihil prorsùs per totam diem profecit. Vigilatâ denique aliâ nocte, manè tentantes, nihil omnino agere potuerunt. Tunc conturbati atque conterriti, quid facerent nesciebant. Dicit eis unus ex clericis: Sciatis, quia post hoc triduum natalis Episcopatûs ejus esse consueverat; et forsitan in hac die se transferri debere vos admonet. Tunc jejuniis ac orationibus et jugi silentio diu noctuque insistentes, triduum illud continuatim duxerunt. Quartâ autem die accedentes, ponentesque manus, non valebant penitùs movere sepulcrum. Pavore autem omnes exterriti, jam in hoc stantes ut terrâ vasculum quod detexerant operirent, apparuit eis venerandâ canitie senex, instar nivis candorem efferens, dicens se esse Abbatem, et ait eis: Usquequo conturbamini et tardatis? non videtis domnum Martinum stantem, vos juvare paratum, si manum apponitis. Tunc jactans pallium quo utebatur, posuit manum ad sarcophagum cum reliquis sacerdotibus, crucibus paratis ac cereis, impositâque antiphonâ dederunt cuncti voces psallentes in excelso. Tum ad senis conatum protinus sarcophagum cum summa levitate commotum, in loco ubi nunc veneratur, Domino annuente, perducitur. Quo ad votum sacerdotis composito, dictis etiam Missis, ut ventum est ad convivium, requirentes solicitè senem, nequaquam reperiunt. Sed nec homo quidem extitit qui eum de Basilica exire vidisset. Credo aliquam fuisse Virtutem angelicam, quæ et beatum virum se vidisse pronuntiavit, et deinceps nulli comparuit. In quo loco ex illa die multæ virtutes factæ sunt.

Die v.

In Festo

S. Martialis Episcopi.

Duplex minus.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis. xj. ⟨526⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad primas Vesperas fit commemoratio S. Martini.

Antiph. Dedit illi. *ut in Communi Confessoris Pontificis.* xiij. ⟨529⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Deus qui populo tuo. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Apostolorum.

Antiph. Gloriosi etc. 180. ⟨350⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro Sancti Gregorii Turonensis de Gloria Confessorum. *Capp.* 27 et 28.

MArtialis Episcopus, à Romanis missus Episcopis, in urbe Lemovicina prædicare exorsus est; eversisque simulacrorum ritibus, repletâ jam credulitate Dei urbe, migravit à sæculo. Erant tunc temporis cum eo duo Presbyteri quos secum ab oriente adduxit in Galliam : verùm ubi completi sunt dies eorum ut et ipsi vocarentur de hoc sæculo, conjunctis sarcophagis in eadem crypta, in qua sanctus Episcopus, sunt sepulti. Puella quædam, cui, nescio quo existente peccato, manus una diriguit ac digiti palmæ defixi erant, ad ejus sepulcrum advénit confisa de virtute Confessoris. Celebratis ergo Vigiliis, in ipsa nocte festivitatis, dum attentè juxta sepulcrum orat; manum suam directis digitis, populo teste, sanatam miratur.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio Octavæ SS. Apostolorum.

Antiph. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum : habent potestatem claudendi cælum, et aperiendi portas ejus; quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum :

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Oratio. Deus cujus dextera. *ut die sequenti ad Laudes.*

Die vi.

In Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Semiduplex.

Omnia de Communi Apostolorum, (j.) ⟨518⟩ *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Laudes.

Antiph. Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

Oratio.

DEus cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; et coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberavit; exaudi nos propitius, et concede ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur : Qui vivis et regnas etc.

Ad Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Petrus Apostolus et Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

Die x.

In Festo

SS. Septem Fratrum, Filiorum S. Felicitatis,

Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (viii.) ⟨524⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui

gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Ad Primam.

Lectio.

SEptem fratres, filii sanctæ Felicitatis, Romæ in persecutione Marci Aurelii Antonini, à Publio præfecto primùm blanditiis, deinde terroribus tentati, ut Christo renuntiantes, deos venerarentur; et sua virtute, et matre hortante, in fidei confessione perseverantes, variè necati sunt. Januarius plumbatis cæsus est : Felix et Philippus fustibus contusi : Silvanus ex altissimo loco præceps dejectus : Alexandro, Vitali, et Martiali caput amputatum. Mater eorum, quarto pòst mense, eamdem martyrii palmam consecuta est.

Die xi.

In Translatione S. Benedicti Abbatis.

Simplex.

Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis. xiv. ⟨529⟩.

Oratio. Intercessio. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

EVerso à Langobardis, ut prædixerat sanctus Benedictus, Cassinensi monasterio, sanctus Mummolus Abbas Floriaci ad Ligerim per visum admonitus, Agiulfum Monachum, qui postea martyrium passus est, Cassinum misit, ut sacra Benedicti pignora Floriacum asportaret. Hic inventa ossa reposuit in sportula : redactas verò in pulverem carnes reliquit in tumulo ; unde instaurato postea per Petronacem Cassinensi cœnobio, frequentes illò susceptæ sunt peregrinationes. Agiulfo sacra ossa deferenti agmina Monachorum cum plebe territorii Aurelianensis, usque in viam quæ dicitur Vetus Floriacum, obviam ierunt ; exceptaque magno cum honore in basilica Floriacensi condiderunt quinto idus Julii anno Domini sexcentesimo sexagesimo quarto. Eodem tempore Cenomannenses quidam, qui Agiulfo socii itineris fuerant, sanctæ Scholasticæ reliquias Cenomannos detulerunt.

Die xiii.

In Festo

S. Turiavi Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xj. ⟨526⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

TUriavus, in Aremoricis natus, Dolum petiit, ut ad tumulum sancti Sampsonis Deo serviret. Tiarmailo Episcopo ita gratus fuit ob suavitatem vocis et morum integritatem, ut regendis Clericis Abbas ab eo præfectus fuerit, deinde ascitus in consortium oneris, et successor designatus. Episcopatum gessit magna cum vigilantia et animi firmi-

tate. Rivallonem, præpotentem virum, qui Ecclesiam et Monasterium sancti Moachi sacrosquelibros incenderat, terrore divinitus incusso ad pœnitentiam adduxit: quam ut perageret, et perpetrata sacrilegia expiaret; Deus sancti Pontificis precibus exoratus, septennii spatium illi indulsit. Variis morbis laborantes sanitati reddidit. Filiam unicam viri cujusdam nobilis, dum ad sepulcrum efferretur, fusis ad Christum unà cum clero et populo precibus, ad vitam revocavit. Demum virtutibus plenus, et mirâ imprimis simplicitate ac vitæ innocentiâ conspicuus, quievit in Domino. Corpus ejus, Nortmannis Gallias vastantibus, Parisios advectum, in basilica sancti Vincentii conditum est. Quo inde semel atque iterum ad ædes civitatis incendio conflagrantes delato, statim ignis extinctus est. Hinc tanto apud Parisienses in honore fuit, ut ejus solemnitate per urbem et vicos proximos denuntiatâ, ad eam celebrandam populus vocaretur.

Die xiv.

In Festo

S. Bonaventuræ.

Episcopi. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint. *ut in Communi Doctorum.* xiij. ⟨529⟩.

Oratio. Deus qui populo xiv. ⟨529⟩.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit. *ut in Communi Doct.* xiv.

Ad Primam.

Lectio.

BOnaventura, Balneoregii in Etruria natus, cùm infans incidisset in vitæ periculum; vovit mater ipsius, si inde evasisset, eum se religioni beati Francisci dicaturum. Itaque anno ætatis vicesimo secundo in Ordinem Fratrum Minorum ascribi voluit: ubi Alexandro Alensi magistro usus, tantos progressus fecit, ut septimo post anno libros Sententiarum Parisiis publicè interpretatus sit, et lauream doctoralem adeptus. Minister generalis septimus post sanctum Franciscum electus, Ordinem in Provincias Custodiasque divisit, et singularem in ejus administratione prudentiam ac solicitudinem adhibuit. Archiepiscopatum Eboracensem in Anglia, sibi à Clemente quarto oblatum, recusavit. Cùm autem Gregorius decimus Clementis successor Concilium generale Lugduni indixisset; Bonaventuram ad se vocavit, ratus è bono Ecclesiæ fore si Concilio non interesset modò, sed etiam præesset: quem ideo, honores licèt fugientem, in Cardinalium collegium et in Episcoporum ordinem statim cooptavit, novo eum propter eximias virtutes exemplo præficiens Ecclesiæ Albanensi, quæ nonnisi antiquioribus Cardinalibus committi antea solebat. Hâc ille amplissimâ dignitate auctus, in propugnanda catholica fide et

gerendis rebus difficillimis egregiam in Concilio præstitit operam: pravas opiniones acerrimè confutavit: ejusque prudentiâ, doctrinâ, et orationibus sublato schismatis dissidio, Michaël Palæologus Græcorum Imperator orientalesque nationes ad Apostolicæ Sedis communionem redierunt. Migravit è vita in eodem Concilio, quinquaginta tres annos natus; et post obitum claruit miraculis. Multa scripsit, in quibus lectorem sic docendo afficit, ut in intimos animi recessus penetrare videatur. Eum Sixtus quartus in sanctorum numerum retulit.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor optime. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Die xvii.

In Festo

SS. Sperati et Socior. Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (viij.) ⟨524⟩ *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Ego tributum do Imperatori, quoniam cognosco eum Dominum meum: sed adoro Regem regum, et omnium gentium Dominum.

Oratio. Deus qui nos annua. *ut in Communi plurium Martyrum.* ix. ⟨525⟩.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Deo gratias conferimus, qui dignatur nos hodie Martyres accipere in cælis pro confessione sua.

Ad Primam.

Lectio.

Ex Actis Martyrum Scillitanorum.

Baronius ad annum 202.

Carthagine statuto forensi conventu, præceperunt magistratus astare sibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam, et Vestinam. Et Saturninus Proconsul dixit: Potestis veniam à dominis nostris Imperatoribus Severo et Antonino promereri, si conversi fueritis ad deos nostros. Speratus dixit: Dominum verum et Regem adoramus. Saturninus dixit: Jura per genium Regis nostri. Speratus dixit: Ego Imperatoris mundi genium nescio, sed cælesti Deo meo servio. Sequenti die Saturninus dicit Sperato: Perseveras ut Christianus sis? Speratus dixit: Etiam, persevero. Audientes omnes qui cum illo retenti fuerant, consenserunt confessioni illius. Saturninus dixit: Qui sunt libri quos adoratis, legentes? Speratus respondit: Quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi, et Epistolas sancti Pauli Apostoli, et omnem divinitus inspiratam scripturam.

Proconsul videns ipsorum fidei firmitatem, dedit in eos sententiam per Exceptorem, dicens sic: Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Lætantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam, et Secundam, Christianos

se esse confitentes, et Imperatori honorem dare recusantes, capite truncari præcipimus. Hæc cùm essent ex tabellâ recitata; Speratus et qui cum eo erant omnes, dixerunt: Deo gratias conferimus, qui dignatur nos hodie Martyres accipere in cælis pro confessione sua. His dictis, ducti sunt: flexis genibus unanimiter, cùm iterum gratias Christo agerent, truncata sunt singulorum capita. Consummati sunt Christi Martyres mense Julio, die septimodecimo; et intercedunt pro nobis ad Dominum nostrum Jesum Christum, cui honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Die xviii.

In Festo

S. Arnulfi Martyris.

Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris. v. ⟨522⟩.

Oratio. Præsta, quæsumus. vj. ⟨522⟩.

Die xx.

In Festo

S. Margaretæ Virg. et Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi Virginum. xvij. ⟨532⟩.

Oratio. Indulgentiam. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio S. Praxedis Virginis.

Antiph. Veni sponsa Christi; accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Indumento justitiæ circumdedit eam Dominus,

℟. Quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, Domine, mentibus nostris cum exultatione proventum; ut beatæ Praxedis Virginis, cujus diem annuâ devotione colimus, fidei constantiam subsequamur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Pro sancta Praxede.

PRaxedes, virgo Romana, cum sorore suâ Pudentianâ à patre Pudente viro sanctissimo qui doctrinam fidei ab Apostolo Paulo acceperat, in omni castitate et divinæ legis meditatione est erudita. Quo deinde mortuo, ambæ vigiliis, orationibus, ac jejuniis assiduè vacantes, omne patrimonium pauperibus sanctisque Christi sustentandis erogarunt. Posteà in Titulo à Pudente sub nomine Pastoris dedicato, Fontem baptismalem ex Pii Romani Pontificis consilio construxere, ut earum familia nocte sanctâ Paschatis baptizaretur. Famuli igitur ad nonaginta sex manumissi, à beato Pio salutaribus undis abluti sunt. Inde Praxedes, post innumera pietatis officia, post humata corpora multorum Martyrum, inter quos sanctum Symmetrium Presbyterum cum aliis viginti-duobus suis manibus sepelivit, migravit et ipsa ad Dominum justitiæ coronam acceptura.

Sepulta est juxta patrem et sororem, in Cœmeterio Priscillæ, viâ Salariâ.

DIE XXI.

In Festo

S. VICTORIS MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, (v.) ⟨522⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

CONtere Domine satanam sub pedibus nostris, qui beato Victori Martyri tuo in confessione tui nominis cultum dæmoniorum calcare tribuisti : Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

VIctor miles, in persequutione Diocletiani et Maximiani cùm idolis sacrificare nollet, à tribuno suo Asterio apud Massiliam conjectus est in carcerem ; unde singulis noctibus ab Angelo educebatur ut vacillantes Christianos confirmaret. Deinde jussu Eutychii Præfecti loris ligatus retortis brachiis, et pedes fune constrictus, per mediam tractus est civitatem. Post hæc fustibus crudelissimè cæsus, deinde suspensus, et taureis cruciatus, cùm exhibitam sibi aram in qua sacrificaret, calce excussisset, pedem ei Præses abscindi jussit. Cùm autem in confessione constans permaneret, subjectus molæ pistrinariæ, atque ita contritus, martyrium consummavit. Passi sunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus, et Longinus : qui dum eum noctu in carcere custodirent, insolito fulgore perculsi quem illuc ventitantes Angeli emittebant, crediderunt in Christum, et eâdem nocte in mari baptizati sunt ; sequenti verò die, ante consummationem beati Martyris, gladio jugulati. Quorum corpora unà cum beati Victoris corpore in mare demersa, litori reddita sunt, et à Christianis sepulta. Eo in loco Cassianus sancti Chrysostomi discipulus duo monasteria, unum virorum, mulierum alterum, sancti Victoris nomine construxit.

DIE XXII.

In Festo

S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Duplex majus.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Surgam, et circuibo civitatem ; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.

Hymnus.

PRocul maligni cedite spiritus,
Nunc imperanti cedite numini ;
Fessamque duris Magdalenam
Parcite nunc agitare pœnis.
Christi jubentis numine territi
Fugere septem : mox sibi reddita
Te, Christe, consectatur unum,
Et memori tibi mente servit.
Quin et cruentâ de trabe pendulo
Christo litabat mille doloribus :
Quàm vellet insontis Magistri
Sola graves tolerare pœnas !

Miscere fletus sanguinis æmulos
Non cessat, astans victima victimæ:
Non ille respondens amori
Quam meliùs probat hinc amantem.
Laus summa Patri, summaque Filio,
Sit summa puro laus quoque Flamini,
Afflante quo semper calescunt
Æthereis pia corda flammis.
Amen.

℣. Anima mea liquefacta est,
℟. Ut loquutus est dilectus meus.

Ad Magnificat Antiph. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.

Oratio.

DEus qui Unigenitum tuum post resurrectionem ejus Mariæ Magdalenæ primùm manifestasti, quæsumus ut eum quem super omnia dilexit, securi mereamur videre Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus etc.

Fit commemoratio S. Victoris.

Antiph. Qui vicerit. *ut in Communi unius Martyris.* viij. ⟨524⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Contere. *ut in die precedente.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Dominum, qui primò Mariæ Magdalenæ redivivus apparuit, venite, adoremus.

Hymnus. Procul maligni. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.

℣. Inveni quem diligit anima mea.

℟. Tenui eum, nec dimittam.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

Hymnus.

PLagis magistri saucia
Dum mœsta largos funderet
Maria fletus, acrior
Revixit in pœnis amor.
Non turba, non vetat Crucis
Mortisque diræ scandalum
Inter furentes quærere
Ligno peremptum milites.
Quis tantus ignaram labor
Exercet? extinctam doles
In morte vitam? quid gemis,
Mors ipsa cum victrix cadit?
En ille quem luges amans,
Præsens resumpto corpore,
Notis amantem te redux
Primam salutat vocibus.
O si beatos tangere
O si tenere fas pedes!
Sed hîc perennis non datur
Gustare vitæ gaudia.
Impleta nunc Apostolam
Promissa te primam choro
Apostolorum grandia
Jubent referre nuntia.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Ego dilecto meo :
℟. Et ad me conversio ejus.

Ad Benedictus Antiph. Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.

Ad Primam.

Antiph. Maria Magdalene, de quâ septem dæmonia exierant, ministrabat Domino de facultatibus suis.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap. 7.* ⟨*v.* 36–80⟩.

In illo tempore : Rogabat Jesum quidam de Pharisæis... Vade in pace.

Ad Tertiam.

Antiph. Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene.

℣. Anima mea liquefacta est,
℟. Ut loquutus est dilectus meus.

Ad Sextam.

Antiph. Unâ sabbati, Maria Magdalene venit manè ad monumentum, et vidit lapidem sublatum à monumento.

℣. Inveni quem diligit anima mea :
℟. Tenui eum, nec dimittam.

Ad Nonam.

Antiph. Tulerunt Dominum meum ; et nescio ubi posuerunt eum.

℣. Dilectus meus totus desiderabilis :
℟. Et ipse est amicus meus.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Surgens Jesus manè primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, alleluia.

Hymnus. Procul maligni. *ut in primis Vesperis.*

℣. Ego dilecto meo :
℟. Et ad me conversio ejus.

Ad Magnificat Antiph. Venit Maria Magdalene annuntians Discipulis, Quia vidi Dominum, alleluia.

Fit commemoratio S. Apollinaris Episcopi et Martyris.

Antiph. Iste sanctus pro legè Dei sui certavit usque ad mortem, et à verbis impiorum non timuit : fundatus enim erat supra firmam petram.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum Domine :
℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio. Deus qui hunc diem. *ut infrà.*

Die xxiii.

In Festo

S. Apollinaris Episc. et Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, (vj.) ⟨522⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

Deus qui hunc diem beati Apollinaris Sacerdotis tui martyrio consecrasti, tribue nobis famulis tuis, ut cujus venerandam celebramus festivitatem,

precibus ejus indulgentiam consequamur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

APollinaris cum Principe Apostolorum Antiochiâ Romam venit: à quo ordinatus Episcopus, Ravennam ad Christi Domini Evangelium prædicandum mittitur: ubi cùm ad Christi fidem plurimos converteret; captus ab idolorum sacerdotibus graviter cæsus est. Cúmque ipso orante Bonifacius nobilis vir, qui diu mutus fuerat, loqueretur, ejusque filia immundo spiritu liberata esset; iterum est in illum commota seditio. Itaque virgis cæsus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quem cùm subjectus ignis nihil læderet; ejicitur extra urbem. Is vero latens aliquandiu cum quibusdam Christianis, inde profectus est in Æmiliam, ubi Rufini Patricii filiam mortuam ad vitam revocavit: ut propterea tota Rufini familia in Jesum Christum crederet. Qua re vehementer incensus Præfectus accersit Apollinarem, et cum eo graviùs agit ut finem faciat disseminandi in urbe Christi fidem. Cujus cùm Apollinaris jussa negligeret, equuleo cruciatur: in cujus plagas aqua fervens infunditur, saxoque os tunditur: mox ferreis vinculis constrictus includitur in carcere. Quarto die impositus in navem, mittitur in exilium; ac facto naufragio venit in Mysiam, inde ad ripam Danubii, postea in Thraciam. Cùm autem in Serapidis templo dæmon se responsa daturum negaret, dum ibidem Petri Apostoli discipulus moraretur; diu conquisitus inventus est Apollinaris; qui iterum jubetur navigare. Ita reversus Ravennam, ab iisdem illis idolorum sacerdotibus accusatus, Centurioni çustodiendus traditur: qui cùm occulte Christum coleret, noctu Apollinarem dimisit. Re cognitâ satellites eum persequuntur; et plagis in itinere confectum, quòd mortuum crederent, relinquunt. Quem cùm inde Christiani sustulissent; septimo die exhortans illos ad fidei constantiam, martyrii gloriâ clarus migravit è vita. Cujus corpus prope murum urbis sepultum est.

Die xxiv.

In Vigilia S. Jacobi Apostoli.

Simplex.

Officium fit de Feria occurrente, cum Oratione sequente.

Oratio.

TUere nos misericors Deus, et beati Jacobi Apostoli tui, cujus natalitia prævenímus, semper guberna subsidiis: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Christinæ Virginis et Martyris.

Antiph. In resurrectione. *de Communi Virginum.* xviij. ⟨533⟩.

℣. Adducentur. *ibidem.*

Oratio. Indulgentiam. xvij. ⟨532⟩.

Deinde fit commemoratio S. Cucufatis Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

ANnue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut beatus Martyr tuus Cucufas ignium globos, te protegente, evasit, ita fidelis populus hujus sæculi adversitatibus, te auxiliante, liberetur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Pro S. Cucufate.

Ex Martyrologio sancti Adonis Episcopi.

Oct. Kal. Aug.

CUcufas ex civitate Scillitana oriundus, Barcinonæ primo gravissimè tortus et cæsus, deinde catenis astrictus, in craticula superextensus, aceto et sinapi perfusus, assari jussus est. Cùm verò ab igne et flammarum globis illæsus apparuisset; ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est. Quo divinitus extincto, ferro vinctus, ibi divino splendore consolatur. Iterum cardis ferreis et taureis crudelissimè cæsus; in ultimo, dictatâ sententiâ (Cucufatem rebellem Principum et diis sacrificare nolentem gladio feriri jubemus) octavo milliario à Barcinona productus, ferroque animadversus, martyrium consummavit. Cujus corpus à Christianis cum reverentia sepelitur: unde postmodum translatum, non longè a Parisiorum civitate in Ecclesia beatorum Martyrum Dionysii, Rustici, et Eleutherii, cum honore tumulatum est.

Die xxv

In Festo

S. Jacobi Apostoli.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apostolorum, (j.) ⟨518⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Procedens Jesus vidit Jacobum et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua; et vocavit eos: illi autem statim, relictis retibus et patre, sequuti sunt eum.

Oratio.

ESto Domine plebi tuæ sanctificator et custos; ut Apostoli tui Jacobi munita præsidiis, et conversatione tibi placeat, et securâ mente deserviat: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Calicem meum bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.

Fit commemoratio S. Christophori Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨522⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

Deinde fit commemoratio Translationis S. Germani Episcopi Parisiensis.

Antiph. Euge serve bone et fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Posui adjutorium super potentem:

℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Oratio.

SAncti Pontificis tui Germani merita nos, quæsumus, Domine, pretiosa tueantur; ut cujus Translationem annuâ devotione celebramus, ejus apud te patrocinia sentiamus: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

JAcobus, Zebedæi filius, Joannis Apostoli germanus frater, natione Galilæus, inter primos Apostolos vocatus cum fratre, relicto patre cum mercenariis et retibus, secutus est Dominum; qui imposuit utrique nomen Boanerges, quod est Filii tonitrui. Is unus fuit ex tribus Apostolis quos Salvator maximè dilexit, testesque voluit esse suæ transfigurationis, ac interesse miraculo cùm Jairi filiam à mortuis excitavit, et adesse cùm secessit in montem Oliveti Patrem oraturus antequam à Judæis comprehenderetur. Ambitiosæ illius petitionis occasione, quâ fratres ambo Dominum rogabant ut alter ad dexteram ejus, alter ad sinistram in gloria sederet; suam Christus eorumque passionem prædixit his verbis: Calicem, quem ego bibo, bibetis; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. Et quidem post mortem Domini, ante dispersionem Apostolorum per universum orbem, Claudio imperante Herodes ad regnum sublatus, ut à Judæis gratiam iniret, Jacobum qui Christum liberè Deum confitebatur, capitis condemnavit. Corpus ejus Compostellam translatum, magnâ veneratione colitur, convenientibus eò religionis et voti causâ ex toto terrarum orbe peregrinis. Ceterùm memoria ipsius natalis hodierno die, qui translationis dies est, ab Ecclesia celebratur; cùm ipse circa festum Paschæ primus Apostolorum Jerosolymis profuso sanguine testimonium Jesu Christo dederit.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Misit Rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.

Fit commemoratio Translationis S. Marcelli Episcopi Paris.

Antiph. Curavit gentem suam, et liberavit eam à perditione; et adeptus est gloriam in conversatione gentis.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio. Deus qui hunc diem, *ut in Laudibus diei sequentis.*

Die xxvi.

In Translatione

Sancti Marcelli Episcopi Parisiensis.

Semiduplex.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Confessorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

Antiph. Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis, et quasi sol refulgens ; sic ille effulsit in templo Dei.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Hymnus. Jesu sacerdotum decus. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨527⟩.

℣. Posui adjutorium super potentem :

℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Ad Benedictus Antiph. In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum : ipse stans juxta aram ; et circa illum corona fratrum.

Oratio.

DEus qui hunc diem honorabilem nobis in beati Marcelli Confessoris tui atque Pontificis Translatione tribuisti, da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ in hac celebritate lætitiam ; ut cujus membra pio amore veneratur in terris, ejus intercessionibus sublevetur in cælis : Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Primam.

Antiph. Hic est sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.

Lectio.

BEati Marcelli corpus in sancti Clementis ædicula conditum eo in vico unde exitialem serpentem depulerat, tantâ effulsit miraculorum gloriâ, ut non populus modò Parisiensis, sed et è vicinis provinciis fideles ad ejus opem implorandam eò frequentes convenirent. Cujus loci celebritate permotus Rollandus Præfectus Marcæ Britannicæ sub principatu Caroli Magni, tanti Confessoris tumulum decorare statuit. Eversâ igitur vetere capellâ, cryptæ, in qua quiescebat, amplam superstruxit Basilicam, atque in ea Collegium Canonicorum instituit. Hanc et ipse Carolus, sancti Marcelli reverentiâ ductus, multis donationibus et privilegiis auxit. Inter cetera verò miracula quibus Deus Marcelli sepulcrum illustravit, celebre illud est quod Parocho cuidam diœceseos Bellovacensis contigisse refert Guibertus Abbas Novigenti. Is quippe, peracto Missæ sacrificio, ex vino quod impius quidam lento veneno infec-

erat, postdiuturnam ægritudinem morti proximus, à viro pio consilium illud accepit: Si vis, ait, venenum egerere; aut de sepulcro sancti Marcelli, aut de altari ejus pulverem tibi deferendum cura; hunc si aquâ dilutum hauseris, certò scias salvum te futurum. Pulverem ægrotus non sine reverentia ebibit; ejectâque statim omni virulentiâ, pristinæ redditus est sanitati. Regnante autem Philippo Augusto (sub quo stupenda Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis fabrica ab Hugone Capeto, tum Comite Parisiorum, dehinc Rege, inchoata, sub posteris autem continuata Regibus, demum majori ex parte fuit absoluta) Odo de Solliaco Episcopus Parisiensis, cupiens eam basilicam aliquo insigni ornamento decorare, beati Marcelli corpus eò transferendum curavit; quò et Sedi Episcopali decus, et urbi, quam Rex ampliabat ac murorum propugnaculis muniebat, certissimum præsidium accederet. Sanctum igitur corpus solemni pompâ è suburbana Ecclesia ad Cathedralem delatum, ponè majus altari editiori loco collocatum fuit: unde velut è specula pius pastor oves, quas divino lumine intuetur, jugi defendit opitulatione.

Ad Tertiam.

Antiph. Accepit stolam gloriæ, et vestitus est in consummationem virtutis.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Sextam.

Antiph. Amplificavit oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, et libavit de sanguine uvæ.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Nonam.

Antiph. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

℣. Tu es sacerdos in æternum,

℟. Secundùm ordinem Melchisedech.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Dei; dare gloriam Deo à labiis suis, et in nomine ipsius gloriari.

Hymnus. Christe. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

℣. Posui adjutorium super potentem:

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Ad Magnificat Antiph. O Parisiorum decus, Marcelle, Confessor Christi, succurre nobis miseris in tremendi adventu judicis.

Fit commemoratio S. Pantaleonis Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *ut in Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloria. *ibidem.*

Oratio. Præsta. *ibidem.*

Die xxvii.

In Festo

S. Pantaleonis Mart.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris. vj. ⟨522⟩.
Oratio. Præsta. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

PAntaleon Nicomediensis, cùm jubente Maximiano artem disceret medicinæ, à Presbytero Hermolao ad Christum conversus, multa edidit miracula, patremque suum Eustorgium senatorem ad fidem adduxit. Quare ejusdem Maximiani jussu equulei pœnâ et lampadum igne cruciatus, atque inter hæc Domino sibi apparente magnopere roboratus, ad extremum gladio percussus, martyrium consummavit. Ejus caput unà cum ossibus sancti Cypriani Carthaginensis et sancti Sperati unius è Scillitanis Martyribus, ex Africa in Gallias advectum, Carolo magno imperante, Lugduni in Basilica sancti Joannis Baptistæ repositum est.

Die xxviii.

In Festo

Sanctæ Annæ Matris B. Mariæ.

Duplex minus.

Omnia de Communi Mulierum sanctarum, (xix.) ⟨534⟩. *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Hymnus.

CLaræ díei gaudiis
Gestit parens Ecclesia,
Annamque Judææ decus
Matrem Mariæ concinit.

Regum piorum sanguini
Jungens Sacerdotes avos
Illustris Anna splendidis
Vincit genus virtutibus.

Cælo favente contrahit
Thori fidelis vinculum :
Effœta dudum corpore
Prolem beatam concipit.

Audit monentis Angeli
Felix parens oraculum,
Castoque format pectore
Perenne sidus virginum.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Mandata Dei in corde mulieris sanctæ,
℟. Fundamenta æterna suprà petram solidam.

Ad Magnificat Antiph. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Oratio.

DEus qui beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut genitricis unigeniti Filii tui mater effici mereretur, concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur: Per eumdem Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum natum ex semine David secundùm carnem, venite, adoremus.

Hymnus. Claræ. *ut in primis Vesperis.*

AD LAUDES.

Hymnus.

FŒcunda radix Isai
Florem pudicum germinat;
Dei daturam Filium
Orbi dat Anna Virginem.
Jam sperat humanum genus,
Caput tenebris excitans;
Lucemque primam conspicit
Annæ coruscantem sinu.
Hanc vota puri pectoris
Zeloque conceptæ preces
Prolem merentur omnium
Matrem salutis gignere.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Mulier timens Dominum,
℟. Ipsa laudabitur.

Ad Benedictus Antiph. Benedicam tibi,et magnificabo nomen tuum; et in semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Hymnus. Claræ. *ut in primis Vesperis.*

℣. Mulier timens Dominum,
℟. Ipsa laudabitur.

Ad Magnificat Antiph. Effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam.

Fit commemoratio S. Marthæ.

Antiph. Dilectus meus, totus desiderabilis; et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

℣. Date ei de fructu manuum suarum:

℟. Et laudent eam in portis opera ejus.

Oratio. Deus qui conversatus. *ut in Laudibus diei sequentis.*

DIE XXIX.

In Festo

S. MARTHÆ, CHRISTI HOSPITÆ.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Marthæ hospitem, venite, adoremus.

Hymnus.

FLagrans amore, perditos
Dum nos Redemptor quæreret;
Defessus ad Martham Deus
Sese recepit hospitam.
Beata, quæ tantum suis
Amica tectis hospitem
Fovere gaudet, ac Deo
Inferre convivæ dapes.
Dum Martha pascit; pascitur
Maria felix, ac sedens
Magnoque tuta judice
Partem potitur optimam.
Nunc Martha, nunc sedens Deo
Et ipsa Verbo pasceris;
Et juge se tuus tibi
Conviva dat convivium.
Da Christe, sanctorum quies,
Sic nos ad unum tendere
Per multa, posthac optimâ
Ut parte possimus frui. Amen.

Antiph. Maria sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium.

℣. Operata est consilio manuum suarum:

℟. Et panem otiosa non comedit.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Dixit Marthæ Dominus: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima; porrò unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

Hymnus.

QUi cuncta pascit providus,
Humana cùm factus caro
Terris videndum se dedit,
Hunc Martha pavit sedula.
Felix domus, quæ perfrui
Tanto meretur hospite!
Felix, abundè cui sua
Rependit hospes munera!
O singularis gratia!
Quarto sepultus jam die
Sororis ad vitam prece
Frater redire jussus est.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Veni electa mea:

℟. Et ponam in te thronum meum.

Ad Benedictus Antiph. Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Oratio.

DEus qui conversatus in terris, in domo beatæ Marthæ hospitari dignatus es, quæsumus, ut ipsâ pro nobis intercedente, in æterna tabernacula recipi mereamur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus etc.

Fit commemoratio S. Lupi Episcopi.

Antiph. Euge. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨528⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Da, quæsumus. xj. ⟨527⟩.

Ad Primam.

Antiph. Mulier, Martha nomine, excepit Jesum in domum suam.

Lectio.

Pro sancto Lupo.

LUpus, Tulli Leucorum nobili familiâ natus, uxorem duxit Pœmeniolam sancti Hilarii Arelatensis sororem. Qui cùm, septimo conjugii anno, reliquum vitæ in continentia degere decrevissent; Lupus ad beatum Honoratum Lirinensem Abbatem se contulit: undè post annum cùm Matisconem venisset, ut quod sibi de facultatibus supererat, pauperibus erogaret; improvisò ad Trecensem Episcopatum raptus est. Biennio pòst electus est à Synodo Gallicana qui cum sancto Germano Autissiodorensi in Britanniam majorem ad expugnandam Pelagianam hæresim proficisceretur. Unde Trecas reversus, Hunnis in Galliam effusis, suis precibus urbem ab iis servavit incolumem; ipsumque Attilam eorum ducem in sui venerationem convertit. Annis circiter viginti, tabulâ pro lecto usus est, cilicio pro veste; in oratione alternis noctibus

pervigil, in jejuniis assiduus, solo pane hordeaceo sabbato victitans, census suos alendis pauperibus captivisque redimendis impendere solitus. Discipulos habuit sanctos Episcopos Polychronium Virdunensem, Severum Trevirensem, et Alpinum Catalaunensem; ipse, ob eximias virtutes, Pontificum Gallicanorum dictus facilè princeps. Cùm autem annis quinquaginta duobus sacerdotio functus fuisset, clarus miraculis abiit ad Dominum.

Ad Tertiam.

Antiph. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.

℣. Date ei de fructu manuum suarum:

℟. Et laudent eam in portis opera ejus.

Ad Sextam.

Antiph. Dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

℣. Operata est consilio manuum suarum:

℟. Et panem otiosa non comedit.

Ad Nonam.

Antiph. Scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

℣. Emisit Dominus benedictionem,

℟. Super omnia opera manuum ejus.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Dicit Jesus Marthæ: Resurget frater tuus.

Hymnus. Flagrans amore. *ut ad Matutinum.*

℣. Veni electa mea:

℟. Et ponam in te thronum meum.

Ad Magnificat Antiph. Nonne dixi tibi quia, si credideris, videbis gloriam Dei?

Fit commemoratio SS. Abdon et Sennen Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi:

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio. Deus qui sanctis tuis. *ut in die sequenti.*

Die xxx.

In Festo

SS. Abdon et Sennen Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum (ix.) ⟨524⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti, da famulis tuis suorum veniam peccatorum; ut sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereantur adversitatibus liberari: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

ABdon et Sennes, Persæ, Decio Imperatore accusati quòd corpora Christianorum, quæ inhumata projiciebantur, in suo prædio sepelissent; jussu Imperatoris comprehenduntur, et diis jubentur sacrificare. Quod cùm facere renuerent, et Jesum Christum Deum constantissimè prædicarent; traditi sunt in custodiam. Illos postea Romam rediens Decius vinctos duxit in triumpho. Qui cùm in urbe ad simulacra pertracti essent, ea detestati conspuerunt. Eam ob rem ursis ac leonibus objecti sunt: sed feræ eos non attigere. Quare gladiis trucidati, colligatis pedibus tracti sunt ante Solis simulacrum. Quorum corpora clam inde asportata, Quirinus Diaconus sepelivit in suis ædibus.

Die xxxi.

In Festo

S. Germani Episcopi Autissiodorensis.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xj. ⟨526⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio S. Ignatii Confessoris.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessorum.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Adesto. xv. ⟨530⟩.

Ad Primam.

Lectio.

GErmanus nobili genere Autissiodori natus, post auditoria Gallicana Romæ juris peritiam adeptus, causas egit; ibique uxorem duxit. Provinciæ suæ visitator constitutus, in Galliam rediit: ubi venationi nimiùm deditus, ab Amatore Autissiodorensi Episcopo reprehensus est, quòd ferarum, quas venando ceperat, trunca capita, ex ritu gentilium de arbore quæ in medio civitatis erat, non sine fidelium offensione, suspenderet. Sed ubi Germanum sibi successorem futurum divinitùs comperit Amator, Augustodunum se contulit, ut Germani in Clerum asciscendi potestatem à Julio Præfecto impetraret. Quod ut obtinuit; Germanum, rescisso capillitio, clericali veste induit. Creatus Episcopus, súbitò mutatur in virum alterum: exinde namque cœpit sæculi pompam aspernari, uxorem habere pro sorore, vitam asperam ducere, cilicio carnem domare, vilem induere habitum, sua pauperibus erogare, omnibus sine personarum acceptione hospitium præbere, orationem vix unquam intermittere. Cùm autem Pelagiana hæresis in Britannia majore grassaretur; ad eam extirpandam Galliæ Episcopi, rogantibus Britannis, miserunt Germanum cum Lupo Trecensi: qui insulam purgarunt ab errore. Claruit ibi Germanus miraculis; atque inter alia, puellæ visum restituit postquam invocato Trinitatis adorandæ nomine reliquias sanctorum quas collo appensas gerebat, ipsius oculis admovisset. Junctos adversùs Britones Saxonum Pictonumque exercitus ipse dux belli factus terret fugatque, non clangore tubæ, non

copiarum aut armorum vi, sed voce Alleluia ter ejus jussu tum à clericis, tum à populo cum magno clamore repetitâ. In Galliam redux, cùm accepisset civitatem suam tributis aliisque calamitatibus admodum premi, Arelatem se contulit ad Auxiliarem Galliæ Præfectum, pro plebe vexata intercessurus. Auxiliaris Germani precibus ultrò annuit; et vicissim à Germano gratiam recepit, quippe qui uxorem ejus quartana febre dudum laborentem pristinæ reddidit sanitati. Ibi affuit Synodo in qua Chelidonius Vesuntinus eo quòd viduæ maritus esset capitalibusque judiciis aliquando præfuisset, Episcopatu dejectus est; qui tamen, quòd accusatio non satis probata videretur, à Leone Magno fuit restitutus. Rogatus à Britannis ut quod cœperat opus absolveret, adjuncto sibi comite Severo Trevirensi in insulam iterum profectus, renascentem hæresim penitus extinxit. Alanorum exercitum, in Aremoricos tum rebelles à Valentiniano Augusto missum, avocavit. Demum senex pro Galliarum pace Ravennam profectus, atque à Valentiniano ejusque matre Placidia magno cum honore exceptus, ibi paucis pòst diebus ex hac vita decessit. Corpus ejus honorifico comitatu Autissiodorum delatum est. Cùm autem eo tempore Severus Presbyter illius reditum, nescius mortis, ad consecrationem novæ Ecclesiæ in memoriam sancti Stephani prope Viennam extructæ multos dies expectasset, siquidem ad ejus dedicationem se venturum illac transiens Germanus promiserat; contigit ut die ejusdem Dedicationis, antequam inchoaretur Officium, corpus ejus per Viennam deportatum, in ea basilica pausandi causâ deponeretur; sicque impleretur quod sanctus Pontifex pollicitus fuerat

FESTA AUGUSTI.

Die 1.

In Festo

S. Petri ad Vincula.

Duplex minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prevalebunt adversùs eam; et tibi dabo claves regni cælorum: dicit Dominus.

Hymnus.

Miris modis repentè liber ferrea,
Christo jubente, vincla Petrus exuit:
Ovilis ille pastor, et rector gregis
Vitæ recludit pascua et fontes sacros,
Ovesque servat creditas, arcet lupos.
Quodcumque in orbe nexibus revinxeris,
Erit revinctum Petre, in arce syderum:
Et quòd resolvit hîc potestas tradita,
Erit solutum cæli in alto vertice:
In fine mundi judicabis sæculum.

Patri perenne sit per ævum gloria ;
Tibique laudes concinamus inclytas,
Æterne Nate ; sit, superne Spiritus :
Honor tibi decusque ; sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per sæculum. Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum ;
℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnificat Antiph. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis : dicit Dominus Simoni Petro.

Oratio.

DEus qui beatum Petrum Apostolum, à vinculis absolutum, illæsum abire fecisti, nostrorum, quæsumus, absolve vincula peccatorum, et omnia mala à nobis propitiatus exclude : Per Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio S. Germani.

Antiph. Dedit illi. *de Communi Pontificum.* xiij. ⟨529⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Exaudi. xj. ⟨527⟩.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Apostolorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Miris modis. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

℣. Constitues eos principes super omnem terram :
℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Dicit Petro Jesus : Simon Joannis amas me ? Et dixit ei Petrus : Domine, tu nosti omnia ; tu scis quia amo te. Dixit ei Jesus : Pasce oves meas.

Hymnus.

BEate pastor Petre, clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula,
Verbo resolve, cui potestas tradita
Aperire terris cælum, apertum claudere.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa sæculorum sæcula. Amen.

℣. Annuntiaverunt opera Dei:
℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Benedictus Antiph. Misit Dominus Angelum suum ; et liberavit me de manu Herodis, alleluia.

Fit commem. SS. Machabæorum.

Antiph. Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.

℣. Judicabit Dominus populum suum :
℟. Et in servis suis miserebitur.

Oratio.

FRaterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet, quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur: Per Christum Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio sancti Exuperii Episcopi Bajocensis.

Antiph. Euge. *de Communi Pontificum.* xij. ⟨528⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Da, quæsumus. xj. ⟨527⟩.

Ad Primam.

Antiph. Herodes rex apposuit ut apprehenderet Petrum; quem cùm apprehendisset, misit in carcerem.

Lectio.

THeodosio juniore imperante, cùm Eudocia ejus uxor Jerosolymam solvendi voti causâ venisset; ibi multis affecta muneribus, præ ceteris insigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmisque ornatæ; quam illam esse affirmabant, quâ Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia, catenam piè venerata, eam postea Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ illam Pontifici maximo detulit: isque vicissim illi ostendit alteram catenam, quâ Nerone Imperatore idem Apostolus constrictus fuerat. Cùm igitur Pontifex Romanam catenam cum ea quæ Jerosolymis allata fuerat, contulisset; factum est ut illæ inter se sic connecterentur, ut non duæ, sed una catena ab eodem artifice confecta esse videretur. Quo miraculo tantus honos sacris illis vinculis haberi cœpit, ut propterea hoc nomine sancti Petri ad Vincula Ecclesia titulo Eudoxiæ dedicata sit in Esquiliis, ejusque memoriæ dies festus institutus Kalendis Augusti: quo ex tempore honor qui eo die profanis Gentilium celebritatibus tribui solitus erat, Petri catenis haberi cœpit. Quanto verò sacræ illæ catenæ in honore haberentur, vel ex eo liquet quòd summi Pontifices de earum limaturâ crucibus aut clavibus aureis inclusâ ad reges virosque primarios de Ecclesia bene meritos transmitterent; quas collo appensas gestabant, ut Apostoli præsidio ab omni periculo tuti essent. Quo in genere, anno salutis humanæ nongentesimo sexagesimo nono, accidit ut quidam Comes, Ottonis Imperatoris familiaris, quem immundus spiritus sic invaserat ut seipsum dentibus dilaniaret, jussu Imperatoris ad Joannem Pontificem ductus, ubi sacra catena collum ejus attigit, statim à nefario spiritu liber et solutus evaserit.

Ad Tertiam.

Antiph. Petrus quidem servabatur in carcere; oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum;

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Sextam.

Antiph. Cùm producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter

duos milites vinctus catenis duabus.

℣. Constitues eos principes super omnem terram :

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Nonam.

Antiph. Et ecce Angelus Domini excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.

℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Dixit autem Angelus ad eum : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.

Hymnus. Miris modis. *ut in primis Vesperis.*

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat Antiph. Narravit Petrus quomodo eduxisset eum Dominus de carcere, dixitque : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc, alleluia.

Fit commemoratio S. Stephani Papæ et Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *ut in Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloria. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. *ibidem.*

DOMINICA proximâ post festum S. Petri ad Vincula, fit Officium Susceptionis S. Crucis.

In Festo

Susceptionis S. Crucis.

Duplex minus.

Omnia ut in Festo Inventionis sanctæ Crucis, (137.) ⟨313⟩ *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

In fine Hymni omittuntur duæ ultimæ strophæ, earumque loco dicitur stropha sequens.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis Spiritus ;
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium.
Amen

Ad Magnificat Antiph. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Oratio.

DEus qui Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es, concede propitius, ut qui ad vivificam Crucem adorandam adveniunt, à peccatorum suorum nexibus liberentur : Per eumdem Dominum etc.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Aspiciamus in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ.

Fit commemoratio Dominicæ occurrentis, per Antiphonam et Orationem occurrentes.

Ad Primam.

Lectio.

URbanus Papa secundus, oppressis in Oriente Turcorum tyrannide Christianis, ad ferenda auxilia Occidentales summopere hortatus, multis ea de re habitis Conciliis, egit demum in Concilio Claromontano ut sacra expeditio in Terram sanctam susciperetur : quo quidem tempore pius ille usus obtinuit, ut preces horariae quæ Officium parvum beatæ Mariæ nominantur, ad implorandam in tanto discrimine Virginis matris opem, recitarentur. Ea in expeditione, Ansellus Ecclesiæ Parisiensis Canonicus, incensus fidei zelo, cruce signatus, militibus comitem se adjunxit. Captâ autem Jerosolymâ cùm Godofredus Bullionæus Rex, Jerusalem electus, Canonicorum collegium in Ecclesia sancti Sepulcri instituisset ; Ansellus hujus Ecclesiæ Præcentor factus est. Accepit autem Ansellus à Syris senioribus et veterum monumentis, quòd cùm olim infideles Crucem Domini ab Heraclio è Perside in Calvariæ locum relatam flammis tradere tentassent, visum fuerat fidelibus eam in partes divisam multis Ecclesiis distribuere, ut si pars aliqua combureretur, aliæ ad cultum superessent. Cùm itaque de aliquâ portione ad Ecclesiam Parisiensem transmittendâ cogitaret, accidit ut David Georgiæ Rege defuncto, uxor ejus quæ velo Religionis suscepto congregationi Sanctimonialium Georgianarum Jerosolymis institutæ, rogatu Gibbellini Patriarchæ præerat, vivificæ Crucis partem quam à viro acceperat, Ansello tradiderit. Ansellus sacrum thesaurum Luteciam misit per Anselmum Ecclesiæ Parisiensis alumnum, perscriptis cùm ad Galonem Episcopum tùm ad Capitulum literis. Ubi pervenit Anselmus Fontanetum prope Balneolum, certiores fecit de adventu suo Episcopum et Canonicos, qui se ad suscipiendam Crucem decenti ritu præpararent. Eò itaque processit Clerus Ecclesiæ Parisiensis, Crucemque deposuit in basilica sancti Clodoaldi, tertio Kalendas Augusti, feriâ sextâ : unde sequenti Dominicâ, convocatis Episcopis Meldensi et Silvanectensi, junctis etiam vicinarum Ecclesiarum processionibus, in Ecclesiam Cathedralem illata est.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O crux benedicta ; quia in te pependit Salvator mundi, et in te triumphavit Rex Angelorum, alleluia.

Die II.

In Festo

S. Stephani Papæ

et Martyris. Simplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris. v. ⟨522⟩.

Oratio. Deus qui nos. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

STephanus post Lucium, successorem Cornelii, Romanam rexit Ecclesiam. Hunc adiit Basilides Legionensis Episcopus,

qui unà cum Martiale Asturicensi à Concilio Episcoporum Hispaniæ propter idololatriam et alia crimina sede suâ dejectus, ad communionem laicam redactus fuerat: et ab eo, rei gestæ et tacitæ veritatis ignaro, obtinuit ut Sedi suæ restitueretur; ad superiora peccata, fallaciæ et circumventionis crimen adjungens. Grassabatur his temporibus Novatianorum hæresis, quæ pœnitentibus lenitatis paternæ solatia claudebat sine spe pacis et communicationis. His cùm se Marcianus Arelatensis adjunxisset; Stephanus primùm à Faustino Lugdunensi, subinde à sancto Cypriano, monitus est in hunc modum: Dirigantur in Provinciam et ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. Ecclesiæ tamen discissæ ad unitatem reversæ sunt: et redditam insperatò pacem ipsi Stephano per litteras gratulatus est Dionysius Alexandrinus. Alia non minor exorta est controversia, utrùm baptizati ab hæreticis ad Ecclesiam redeuntes, denuò essent baptizandi: de qua ad Cyprianum ita scripsit Stephanus: Nihil innovetur, nisi quod traditum est. Demum post administratam per tres annos Ecclesiam, in persecutione Valeriani supervenientibus militibus, ante altare impavidus cœpta mysteria perficiens, in sede suâ decollatus est. Corpus cum eâdem sede ejus sanguine respersâ, à Clericis sepultum est in cœmeterio Callisti.

Die III.

In Festo Inventionis
Corporis S. Stephani Protomartyris.

Duplex minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt; et vivent nomina eorum in æternum.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

℣. Gloria. vj. ⟨522⟩.

Ad Magnificat Antiph. Elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto; et statuerunt eum ante conspectum Apostolorum: et orantes Apostoli imposuerunt ei manus, alleluia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus; ut discamus et inimicos diligere, quia ejus Inventionem celebramus qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Martyrum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

Antiph. Stephanus plenus gratiâ et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Surrexerunt quidam de Synagogâ disputantes cum Stephano; et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.

Hymnus. Invicte martyr. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus Antiph. Intuentes eum omnes qui erant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.

Ad Primam.

Antiph. Lapidaverunt Stephanum; et ipse invocabat Dominum, dicens, Ne statuas illis hoc peccatum.

Lectio.

CORpora Sanctorum Stephani Protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, et Abibonis, quæ diu latuerant, Luciano Presbytero divinitus admonito, inventa sunt prope Jerosolymam, imperante Honorio. Cujus rei famâ magna hominum multitudo commota eò convenit, pluresque, variis morbis affecti, sani redierunt. Sacræ reliquiæ summâ celebritate in sanctam Ecclesiam Sion illatæ sunt. Theodosio autem Juniore regnante, corpus sancti Stephani Constantinopolim, inde Romam Pelagio primo summo Pontifice translatum, in agro Verano in sepulcro sancti Laurentii collocatum est.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Ex editis à Sirmondo.

Sancti Stephani corpus usque ad ista tempora latuit. Nuper autem apparuit, sicut solent apparere sanctorum Martyrum corpora, revelatione Dei, quando placuit Creatori. Præcedentibus enim signis locus demonstratus est; et quomodo fuerat revelatum, sic et inventum est. Multi inde reliquias acceperunt, quia Deus voluit; et huc venerunt. Commendatur ergo charitati vestræ et locus et dies. Utrumque celebrandum in honorem Dei quem confessus est Stephanus. Nos enim in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo.

Ad Tertiam.

Antiph. Lapides torrentis illi dulces fuerunt: ipsum sequuntur omnes animæ justæ.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum Domine:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Antiph. Adhæsit anima mea post te; quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

Ad Nonam.

Antiph. Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem à dextris Dei.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo:

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Stephanus vidit cælos apertos; vidit, et introivit: beatus homo cui cæli patebant.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnificat Antiph. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

Fit commemoratio S. Dominici Confessoris.

Antiph. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣. Justus germinabit sicut lilium:

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Oratio. Deus qui Ecclesiam. *ut in Festo sequenti.*

Die iv.

In Festo

S. Dominici Confess.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, (xv.) ⟨530⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui Ecclesiam tuam beati Dominici Confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis; concede, ut ejus intercessione temporalibus non destituatur auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

DOminicus, Calarogæ in Hispania ex nobili Gusmannorum familia natus, Palentiæ liberalibus disciplinis et Theologiæ operam dedit: quo in studio cùm plurimùm profecisset, priùs Uxamensis Ecclesiæ Canonicus regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Hujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in utero catulum ore præferentem facem, quâ editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo somnio significabatur, fore ut splendore sanctitatis ejus ac doctrinæ multi ad Christianam pietatem inflammarentur. Veritatem exitus comprobavit: id enim et præstitit per se, et per sui Ordinis socios deinceps est consecutus. Hujus ingenium ac virtus maximè enituit in evertendis hæreticis, qui perniciosis erroribus Tolosates pervertere conabantur. Quo in negotio septem consumpsit annos. Posteà Romam venit ad Lateranense Concilium cum Episcopo Tolosano, ut Ordo quem instituerat, ab Innocentio tertio confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, Dominicus hortatu Pontificis ad suos revertitur, ut sibi regulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio tertio, qui proximus Innocentio successerat, confirmationem Ordinis Prædicatorum

impetrat. Romæ autem duo instituit monasteria, alterum virorum, mulierum alterum. Tres mortuos ad vitam revocavit; multaque alia edidit miracula, quibus Ordo Prædicatorum mirificè propagari cœpit. Verùm cùm ejus operâ ubique terrarum monasteria jam ædificarentur, innumerabilesque homines religiosam ac piam vitam instituerent; Bononiæ anno Christi ducentesimo vicesimo primo supra millesimum, in febrem incidit; ex qua cùm se moriturum intelligeret, convocatis Fratribus et alumnis suæ disciplinæ, eos ad innocentiam et integritatem cohortatus est. Postremò caritatem, humilitatem, paupertatem, tamquam certum patrimonium, iis testamento reliquit: Fratribusque orantibus in illis verbis, Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli; obdormivit in Domino, octavo Idus Augusti: quem postea Gregorius nonus retulit in Sanctorum numerum.

Ad Vesperas fit commemoratio S. Ionii Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *ut in Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ. *ibidem.*

Oratio. Præsta. *ibidem.*

Die v.

In Festo

S. Ionii Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris. vj. ⟨522⟩.

Oratio. Præsta. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

IOnius, cùm in pago Castrensi prope Parisios opus Domini instanter perageret, ac plurimos verbis et exemplis ad Christum converteret, propter immobilem in confessione fidei constantiam martyrio coronatus est. Corpus ejus ibidem sepultum, totius viciniæ cultu et veneratione frequentatur.

Die vi.

In Festo

Transfigurationis Domini.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.

Hymnus. Prudentii.

QUicumque Christum quæritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cœlo et chao.

Hic ille Rex est Gentium,
Populique Rex Judaici,
Promissus Abrahæ patri,
Ejusque in ævum semini.

Hunc et Prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus,
Testatur et Pater jubet
Audire nos et credere.

Gloria tibi Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum :

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Antiph. Sunt de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis in regno suo.

Oratio.

DEus qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosâ Transfiguratione patrum testimonio roborasti, et adoptionem filiorum perfectam voce delapsâ in nube lucidâ mirabiliter præsignasti, concede propitius, ut ipsius Regis gloriæ nos cohæredes efficias, et ejusdem gloriæ tribuas esse consortes : Per eumdem Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Regem regum, hodie transfiguratum, venite, adoremus.

Hymnus. Quicumque. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Accepit Jesus à Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ; ipsum audite.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.

Hymnus. S. Bernardi.

JEsu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium :

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine
Pulsâ mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas ;
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam :
Da mihi per præsentiam
Tuam videre gloriam.

Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat :
Quàm felix est quem satiat !
Non est ultra quod cupiat.

Tu fons misericordiæ,
Tu verè lumen patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Amen.

℣. Adorate Dominum,

℟. In monte sancto ejus.

Ad Benedictus Antiph. Audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valdè : et accessit Jesus, et tetigit eos ; dixitque eis, Surgite, nolite timere.

Fit commemoratio SS. Xysti Papæ et Martyris, et sociorum.

Antiph. Absterget. *ut in Communi plurium Martyrum.* x. ⟨525⟩.

℣. Exultabunt. ix. ⟨525⟩.

Oratio. Deus qui nos annuâ. *ibidem.*

Ad Primam.

Antiph. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus; et duxit illos in montem excelsum seorsùm; et transfiguratus est ante eos.

Lectio.

Pro SS. Xysto et sociis.

XYstus secundus Stephano successit in sede Romana. Ad eum Dionysius Alexandrinus scripsit epistolam de baptismate, qua etiam eum commonefecit de exorta apud Ptolemaidem Pentapoleos urbem Sabellianorum hæresi. Sed et in alia epistola sententiam ejus expetiit de impio quodam hæreticorum baptismo quem se dudum suscepisse quidam fidelis asserebat. Cùm autem acriori adversùs Christianos persecutione decretâ, Valerianus inter alia, rescripto ad Senatum dato, edixisset ut Episcopi, Presbyteri, et Diacones incontinenti animadverterentur; Xystus simul cum Quadrato, octavo Idus Augusti in cœmeterio animadversus est. Quem cùm sanctus Laurentius ad martyrium duci cerneret, in has voces flens erupit: Quò progrederis sine filio, pater? quò, sacerdos sancte, sine ministro properas? Cui Xystus: Non ego te desero, fili: majora te manent certamina; post triduum me sequéris. Eodem die interfecti sunt Felicissimus et Agapetus, Diaconi; Januarius, Magnus, Vincentius, et Stephanus, Subdiaconi. Gloriosam Xysti mortem sanctus Cyprianus Episcopis Africæ per Successum illorum collegam significari voluit; quò suos quisque corroboraret, ut gauderent magis quàm timerent in hac confessione in qua scirent Christi milites non perimi, sed coronari.

Ad Tertiam.

Antiph. Resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix, alleluia.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Antiph. Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias, loquentes cum Jesu.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo:

℟. Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.

Ad Nonam.

Antiph. Ait Petrus ad Jesum: Domine, bonum est nos hîc esse.

℣. Confessionem et decorem induisti, Domine,

℟. Amictus lumine sicut vestimento.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.

Hymnus. Quicumque. *ut in primis Vesperis.*

℣. Adorate Dominum,

℟. In monte sancto ejus.

Ad Magnificat Antiph. Christus Jesus, splendor Patris et

figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, in monte excelso gloriosus apparere hodie dignatus est, alleluia.

Die viii.

In Festo

S. Justini Martyris.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi unius Martyris, (v.) ⟨522⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

DEus cujus munere sanctus Justinus puer fidem mirabili victoriâ propugnavit, da infirmitati nostræ ejus intercessione virtutem, ut fidem, quam voce profitemur, opere exequamur : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

JUstinus (ut refert venerabilis Beda) Autissiodori, Christianis parentibus natus, etiamnum puer prophetiæ dono præditus, auctor fuit patri Matthæo ut Ambianos unà proficiscerentur ad redimendum fratrem suum Justinianum, à multis annis in servitutem redactum. Quò pergentibus obvius occurrit Meloduni, ad portam urbis, egenus quidam, cæcus et claudus, nudus, et fame pænè enectus; cui Matthæus eleemosynam dedit, Justinus verò tunicam suam, Matthæo patre quantumvis repugnante. Parisiis, à viro quodam, nomine Hippolyto, perhumanè excepti sunt. Inde Ambianos, ad domum Lupi, qui Justiniani dominus erat, se contulerunt : ibique Justinus fratris manumissionem à Lupo obtinuit. Cùm autem à Lupo accepissent, Rictiovarum, quem Diocletianus et Maximianus Præfectum in Gallias miserant, in illos inquiri jussisse ; noctu elapsi sunt. De quorum fuga Præfectus certior factus, quatuor equitibus præcepit ut vinctos adducerent, aut occiderent. Non longè à Lupara Justinus cum Matthæo et Justiniano ad fontem se reficiebat, cùm futuri præscius consilium iis dedit ut in antro proximo delitescerent, quòd non procul abessent equites à Præfecto missi. Qui paulò post advenientes, solum puerum repererunt. Interrogatus ab illis Justinus de nomine, religione, comitibus; respondit, nomen quidem sibi esse Justinum ; religionem, Christianam ; ceterùm Evangelii lege cautum esse ne comitum suorum proderet quemquam. Eo responso actis in furorem militibus, ex illis unus Justini caput amputavit. Truncum corpus utrâque manu caput accipiens coram lictoribus stetit immobile : qui prodigioso spectaculo exterriti, recesserunt. Matthæus verò et Justinianus è specu egressi, Martyris caput Autissiodorum ad matrem detulerunt ; humato priùs, uti optaverat, apud Luparam corpore. Quod inde in Ecclesiam Parisiensem translatum est.

Die ix.

In Vigilia S. Laurentii Martyris.

Simplex.

Officium fit de Feria occurrente, cum Oratione sequenti.

Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, et intercessione beati Laurentii Martyris tui, cujus prævenimus festivitatem, perpetuam nobis misericordiam benignus impende: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Romani Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

Die x.

In Festo

S. Laurentii Martyris.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum Domine:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Antiph. Beatus Laurentius orabat, dicens: Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mei servi tui.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare: Per Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Beatus Laurentius, Christi Martyr, triumphat coronatus in cælis: venite, adoremus Dominum.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

Antiph. Liberasti me, Domine, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ, à pressurâ flammæ quæ circumdedit me.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intus accendit.

Hymnus. Invicte. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus Antiph. In craticula te Deum non negavi; et ad ignem applicatus te Christum confessus sum: probasti cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ad Primam.

Antiph. Laurentius, invictus Martyr, confessus est nomen Domini nostri Jesu Christi.

Lectio.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 83. *Capp.* 2 *et* 3.

CUm furor Gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra serviret†, ac præcipuè eos qui ordinis erant sacerdotalis impeteret; in Levitam Laurentium, qui non solùm ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ eminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de unius viri comprehensione promittens: quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque geminâ face homo pecuniæ cupidus, et veritatis inimicus; avaritiâ, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarii præsule opes ecclesiasticas, quibus avidissimus inhiabat, inferri. Cui Levita castissimus, ubi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates; quæ tantò integriùs erant salvæ, quantò sanctiùs probabantur expensæ. Fremit ergo prædo frustratus, et in odium religionis quæ talem divitiarum usum instituisset, ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum substantiam reperisset; ut illud depositum, quo sacratiùs erat dives, auferret. Renuntiare Christo Laurentium jubet, et solidissimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere suppliciis: quorum ubi prima nihil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, et multâ verberum sectione conscissos, subjecto præcipit igne torreri: ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alternâ mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior et pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis, sæva crudelitas: subtrahitur inventis tuis materia mortalis: Laurentio in cælos abeunte, tu deficis. Flammis tuis superari charitatis Christi flamma non potuit; et segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intus accendit. Sævisti persecutor in Martyrem: sævisti, et auxisti palmam; dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii? Gaudeamus igitur, dilectissimi, gaudio spirituali; et de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus nobis et præsidium constituit et exemplum; atque ita per universum mundum clarificavit gloriam suam, ut à solis ortu usque ad occasum Leviticorum luminum coruscante fulgore, quàm clarificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio.

Ad Tertiam.

Antiph. Levita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum Crucis cæcos illuminavit.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum Domine :

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Antiph. Adhæsit anima mea post te, quia caro mea igne cremata est pro te, Deus meus.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

Ad Nonam.

Antiph. Misit Dominus Angelum suum, et liberavit me de medio ignis, alleluia.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo :

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Vesperæ de Festo sequente.

Die xi.

In Festo

Susceptionis S. Coronæ Domini.

Duplex majus.

Ad Psalmos Antiph. Egredimini filiæ Sion, et videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.

Hymnus.

EXite filiæ Sion,
Regis pudicæ virgines ;
Christi coronam cernite,
Quam mater ipsa texuit.
Horret revulsis crinibus
Spinis cruentatum caput ;
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.
Quæ terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus,
Lugubre munus protulit ?
Quæ sæva messuit manus ?
Christi rubescens sanguine,
Aculeos mutat rosis ;
Palmamque vincens fructibus
Spina est triumphis aptior.
Culpis satæ mortalium
Te, Christe, spinæ vulnerant :
Evelle nostras, cordibus
Tuasque nostris insere.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Plectentes coronam de spinis,

℟. Posuerunt super caput ejus.

Ad Magnificat Antiph. Exivit Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso gloriâ et honore coronari mereamur in cælis, Qui tecum vivit et regnat in unitate etc.

Fit commemoratio S. Laurentii.

Antiph. Beatus Laurentius dum in craticula superpositus ureretur, ad impiissimum tyrannum dixit : Assatum est jam ; versa, et manduca : nam facultates Ecclesiæ quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt.

℣. Justus ut palma florebit :

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio. Da nobis. *ut in Festo præcedente.*

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Regem regum, spinis coronatum, venite, adoremus.

Hymnus. Exite. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini,

℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

Te Deum Laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Hymnus.

LEgis figuris pingitur
Christi corona nobilis:
Implexa spinis victima,
Ardensque testatur rubus,
Arcam corona cinxerat,
Mensæque sacræ circulum;
Aramque thure fumidam
Corona nectit ambiens.
Christi dolorum conscia
Salve corona gloriæ,
Gemmis et auro pulcrior,
Vincens coronas siderum.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Data est ei corona:

℟. Et exivit vincens ut vinceret.

Ad Benedictus Antiph. Adduxit Pilatus foras Jesum: et sedit pro tribunali; et dixit Judæis, Ecce Rex vester.

Fit commemoratio S. Susannæ Virginis et Martyris.

Antiph. In resurrectione. *ut in Communi Virginum.* xviij. ⟨532⟩.

℣. Adducentur. *ibidem.*

Oratio. Deus qui inter cætera. xvij. ⟨532⟩.

Ad Primam.

Antiph. Milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, congregaverunt adversùs eum universam cohortem.

Lectio.

BAlduinus, Marchio Namurci, Castellanus Curtineti, et postremus è Latinis Constantinopolitanorum Imperator, cùm in Galliam urgentibus negotiis venisset, nuntiavit sancto Regi Ludovico, consanguineo suo, Constantinopolim à Græcis obsidione cingi, primoresque in eâ conclusos eò penuriæ devenisse, ut de coronâ spineâ Domini extraneis aut vendendâ aut oppignerandâ cogitarent. Ac ne optimi Regis pietatem offenderet, non ausus est rem adeò sacram pretio emendam proponere; sed eum enixè rogavit ut eam dono accipere vellet. Rex, actis Balduino gratiis, ex Ordine Prædicatorum duos Constantinopolim misit, Andream et Jacobum quorum hic cùm esset Monasterii Ordinis sui eâ in urbe Prior, Coronam sæpiùs viderat: quibus Imperator unum è suis comitem adjunxit; simul et diplomate præcepit Baronibus ut sacra Corona iis qui à Rege

missi erant, traderetur. Constantinopolim ingressis renuntiatum est Coronam Venetis nomine pignoris obligatam esse, eâ conditione, ut nisi intra natalem Martyrum Gervasii et Protasii redimeretur, caderet in commissum, et pignoris obligatio verteretur in titulum venditionis pro pecuniâ jam traditâ, interimque Venetiam deportaretur. Lectis imperatoriis literis, Corona, uti conventum fuerat, loculo sigillis procerum consignato, defertur Venetiam ab iis qui à Rege missi fuerant, adjunctis Imperatoris Nuntiis nobilioribusque Venetis. Quâ depositâ in Thesauro Capellæ sancti Marci, relictoque ibi Andrea custode, Jacobus cum Nuntiis Imperatoris ad Regem properat, eique rem omnem exponit. Tunc Rex Jacobum et Nuntios Imperatoris confestim Venetiam remittit, qui sacrum pignus pecuniâ redemptum in Galliam asportarent. Id verò memoriâ dignum accidit, ut in tam longo itinere, quamvis sæpe noctu plueret, interdiu tamen ne minimùm quidem pluviæ ceciderit. Ut Trecas pervenere, Regem de adventu suo certiorem fecerunt. Qui cum matre et proceribus duobusque Episcopis Galtero Senonensi et Bernardo Aniciensi obviam profectus, apud Villam novam Archiepiscopi, fractis sigillis reclusoque loculo, Coronam non sine multis lacrymis conspexit, et in eodem loculo repositam sigillo suo obsignavit. Id contigit die festo sancti Laurentii, anno millesimo ducentesimo tricesimo nono. Postridie Senonas deportatur; eamque ab ipso urbis aditu Rex, nudis pedibus, solâ indutus tunicâ, Roberto fratre comitante, Clero et plebe obviam euntibus, suis humeris infert in seniorem sancti Stephani basilicam; et inde Parisios proximâ die contendit. Tandem octavâ decimâ Augusti, quæ erat feria quinta post Assumptionem beatæ Virginis, è saltu Vicenarum proceditur; extructoque in campi planitie juxta sancti Antonii basilicam tabulato, fidelium oculis venerandum pignus exponitur. Inde ab ipso Rege, præcedente Clero, defertur ad majorem Ecclesiam sanctæ Mariæ: atque hinc post laudes Deo persolutas, Monachis sancti Dionysii procedentibus, in sacello regio sancti Nicolai in Palatio, collocatur. Demum Rex piissimus, ædificatâ in eodem loco magnificentissimâ Capellâ, sacram ibi Coronam deposuit cum maxima parte Crucis, Spongiæ, et Lanceæ; institutis ibidem Canonicis et Capellanis.

Ad Tertiam.

Antiph. Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

℣. Plectentes coronam de spinis,

℟. Posuerunt super caput ejus.

Ad Sextam.

Antiph. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini ;

℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

Ad Nonam.

Antiph. Veniebant ad eum ; et dicebant, Ave Rex Judæorum.

℣. Corona aurea super caput ejus,

℟. Expressa signo sanctitatis et gloriâ honoris.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Percutiebant caput ejus arundine, et conspuebant eum ; et ponentes genua, adorabant eum.

Hymnus. Exite. *ut in primis Vesperis.* 222. ⟨387⟩.

℣. Data est ei corona :

℟. Et exivit vincens ut vinceret.

Ad Magnificat Antiph. Christus exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.

Fit commemor. S. Claræ Virg.

Antiph. Inveni. *ut in Communi Virginum.* xvij. ⟨532⟩.

℣. Elegit. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. *ibidem.*

Die xii.

[*Si sit Sabbatum, Officium fit de S. Hippolyto, ut infrà,* 226. ⟨391⟩. *cum commemoratione S. Claræ ad Laudes.*]

In Festo

S. Claræ Virginis.

Simplex.

Omnia de Communi Virginum. xviij. ⟨532⟩.

Oratio. Deus qui nos. xvij. ⟨532⟩.

Ad Primam.

Lectio.

CLara, nobili genere Assisii in Umbriâ nata, facultatibus in pauperes erogatis, sæculo renuntiavit, sancti Francisci adhortationibus permota, qui et capillos ei incîdit. Plures ejusdem instituti socias, ac præ cæteris Hortulanam matrem et sorores, sibi adjunxit. Arctiorem vitæ rationem amplexa, aut nudo solo aut sarmentis interdum pro lectulo utebatur, stipite pro cervicali. Unâ tunicâ cum pallio ex vili panno, adhibito frequenter ad carnem cilicio, induebatur. Per multos annos, feriis secundâ, quartâ, et sextâ, nihil penitus alimenti ; reliquis diebus, parcissimum capiebat cibum. Cùm per octo et viginti annos præ infirmitate è lecto surgere non posset ; otium fugiens, Corporalia ex lino, in sacrificii usum, quæ variis largiretur Ecclesiis, conficiebat. Paupertatis adeò amans fuit, ut ne Monasterium possessiones haberet, ipsi etiam Gregorio nono sufficientes reditus assignare volenti obstiterit. Saracenis jussu Friderici Imperatoris Assisium obsidentibus, et cœnobium cui illa præerat jamjam invasuris, infirma ad portam duci voluit atque hostibus objici, simul et præferri capsulam argenteam ebore inclusam in quâ sacratissima Eucharistia servabatur : cúmque coram Christo prostrata oraret ut sorores tutaretur ; vocem quasi pueri audivit, Ego vos semper custodiam. Iterumque pro civitate precata, eamdem vocem audivit dicentem, Grava-

mina sustinebit, sed munere meo defendetur : tuncque Saraceni divinitùs territi, per ipsos quos conscenderant muros fugerunt. Tandem cùm quadragintaduobus annis monasterium rexisset ; instante morte, Viaticum à Cardinale Ostiensi accepit. Ejus exequiis interfuit Innocentius quartus, qui ægrotantem inviserat, et suppliciter petenti peccatorum indulgentiam fuerat impertitus. Alexander quartus, Innocentii successor, eam inter Sanctas virgines retulit.

Die xiii.

[*Si sit Dominica, Officium fit de Susceptione sanctæ Crucis, ut suprà.* 210. ⟨376⟩.]

In Festo

SS. Hippolyti et Sociorum Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. viij. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos annuâ. ix. ⟨525⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Cassiani Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

Deinde fit commemoratio sanctæ Radegundis Reginæ.

Antiph. Date ei. *ut in Communi Mulierum sanctarum.* xxj. ⟨535⟩.

℣. Gratia. *ibidem.*

Oratio. Tuorum. xx. ⟨534⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Hippolytus, cùm beatum Laurentium à quo baptizatus fuerat sepelisset, sacrificii quod Justinus Presbyter super Martyris corpus obtulerat particeps factus, Eucharistiam secum domum detulit, quam toti familiæ suæ distribueret. Quod ubi perfecit, mox à militibus comprehensus, et ad Valerianum Imperatorem adductus, summâ libertate coram eo se Christianum esse professus est. Eam ob rem fustibus cæsus, cùm nihilominus in fide constans permaneret, Præfecto traditur puniendus. Is domum Hippolyti cùm venisset ejus bona publicaturus, totam familiam Christianam esse cognovit. Itaque omnes extra portam Tiburtinam occidi jussit, cæsâ prius plumbatis Concordiâ Hippolyti nutrice quæ alios suis adhortationibus in fide confirmaverat. Ipse verò Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis et carduis consita, lacerato corpore spiritum Deo reddidit, unáque cum reliquis à Justino in agro Verano sepultus est. Post annos quingentos, Fuldradus, Abbas sancti Dionysii, corpus beati Hippolyti unà cum reliquiis sancti Alexandri Papæ et Martyris in Monasterium suum transtulit.

Eodem die celebratur memoria sancti Cassiani, qui apud Forum Cornelii viâ Æmiliâ, vinctis post terga manibus, puerorum quos erudiebat ferreis stylis configendus excarnificandusque traditus

est. Quorum quantò erat infirmior vis, tantò ejus pœna martyrii gravior ac diuturnior fuit, palmaque illustrior.

Radegundis, filia Bertharii Regis Toringorum, Clotarii primi ex captivâ conjux, beneficentiam in pauperes, vigilias, statas et crebras orationes, cilicii usum, abstinentiam, jejunia, summam denique vitæ asperitatem cum regia dignitate conjunxit. Post occisum fratrem Clotarii jussu, ipso permittente ab aulâ discedens sanctum Medardum adiit; cúmque monachicam vestem suscepisset, in Diaconam ab eo consecrata est. Abiit ad Dominum anno quingentesimo octogesimo septimo.

DIE XIV.
In
VIGILIA ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ.
Simplex.

Omnia ut in officio Beatæ Mariæ in Sabbato (xxvj.) ⟨539⟩ *præter Orationem, et Psalmos qui dicuntur de Feria occurrente.*

Oratio.

DEus qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es, da, quæsumus, ut suâ nos defensione munitos jucundos facias suæ interesse festivitati, Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate etc.

Ad Matutinum non dicitur Te Deum laudamus.

Ad Laudes fit commemoratio S. Eusebii Confessoris.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessorum.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Sancti Confessoris. xv. ⟨530⟩.

Die xv. Augusti.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS. *ANNVALE.*

Ad Primas Vesperas.

Antiphona.

[A]Ssumpta est Maria in cælum ; gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Psalmus. Dixit Dominus. 15. ⟨4⟩.

Antiph. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Psalmus. Laudate pueri. 16. ⟨4⟩.

Antiph. In odorem unguentorum tuorum currimus : adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Psalmus. Lætatus sum. 47. ⟨7⟩.

Antiph. Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructui vitæ communicavimus.

Psalmus. Nisi Dominus ædificaverit domum. 63. ⟨8⟩.

Antiph. Pulchra es, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Psalmus. Lauda Jerusalem. 114. ⟨12⟩.

Capitulum. Apoc. 12.

SIgnum magnum apparuit in cælo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. *Resp.* Deo gratias.

Responsorium. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni ; coronaberis.

℣. Tota pulcra es, amica mea ; et macula non est in te.

℟. Veni de Libano, veni ; coronaberis.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Veni coronaberis.

Hymnus.

QUem terra, pontus, sydera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cæli gratiâ
Gestant puellæ viscera.

Beata mater munere,
Cujus supernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Beata cæli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu,
Disideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

O gloriosa Domina,
Excelsa supra sidera,
Qui te creavit, providè
Lactasti sacro ubere.

Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine :
Intrent ut astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.

Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cælestia regna.

Antiph. Virgo prudentissima, quò progrederis, quasi aurora valdè rutilans? filia Sion, tota formosa et suavis es; pulcra ut luna, electa ut sol.

Canticum. Magnificat. 125. ⟨22⟩.

Oratio.

VEneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in quâ sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit quæ Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum, Qui tecum vivit et regnat in unitate etc.

Ad Completorium.

Incipitur absolutè, Convertе nos Deus etc.

Antiph. Miserere mei, Domine, et exaudi orationem meam.

Psalmi. Cùm invocarem. 17. In te Domine. 18. Qui habitat. *ibidem.* Ecce nunc. 19. ⟨4⟩.

Hymnus.

VIrgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis
In tua se clausit viscera factus homo.
Vera fides geniti purgavit crimina mundi;
Et tibi virginitas inviolata manet.
Te matrem pietatis, opem te flagitat orbis:
Subvenias famulis, ô benedicta, tuis.
Gloria magna Patri, compar tibi gloria, Nate,
Cum sancto Spiritu; gloria magna Deo. Amen.

Capitulum. Jeremiæ 14.

TU autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos.

Resp. Deo gratias.

Respons. breve. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

℟. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

℣. Redemisti nos, Domine Deus veritatis.

℟. Commendo spiritum meum.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi:

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Antiph. Salva nos, Domine, vigilantes; custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Canticum. Nunc dimittis. 126. ⟨23⟩.

Oratio. Visita. *et reliqua.* 127. ⟨23⟩.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Venite, adoremus Regem regum, *Cujus hodie ad æthereum Virgo mater assumpta est cælum.

Psalmus. Venite. 116. ⟨14⟩.

Hymnus.

O Quàm glorificâ luce coruscas
Stirpis Davidicæ regia proles,
Sublimis residens Virgo Maria
Supra cæligenas ætheri somnes.
Tu cum virgineo mater honore,
Cælorum Domino pectoris aulam
Sacris visceribus casta parasti;
Hinc natus Deus est corpore Christus.
Quem cunctus venerans orbis adorat,
Cui nunc ritè genu flectitur omne,
A quo nos petimus, te veniente,
Abjectis tenebris, gaudia lucis.
Hoc largire Pater luminis omnis,
Natum per proprium, Flamine sacro,
Qui tecum nitida vivit in æthra,
Regnans, ac moderans sæcula cuncta. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea; et veni.

Psalmus. Domine Dominus noster. 3. ⟨1⟩.

Antiph. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis.

Psalmus. Cæli enarrant. 49. ⟨7⟩.

Antiph. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Psalmus. Eructavit. 41. ⟨6⟩.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix,

℟. Super choros Angelorum ad cælestia regna.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Absolutio. Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, et miserere nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetuâ benedicat nos Pater æternus. *Resp.* Amen.

Incipiunt Cantica Canticorum.

Lectio j. Cap. 1. ⟨*v.* 1–5⟩.

O Sculetur me osculo ... quia decoloravit me sol. Tu autem Domine miserere nostri.

Resp. Deo gratias.

Respons. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum; cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus; *Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium.

℣. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? *Et sicut dies. Gloria Patri. *Et sicut dies.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur.

Resp. Amen.

Lectio ij. ⟨*Cant.* 1. 8–16⟩.

EQuitatui meo ... laquearia nostra cypressina.

Respons. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion : quasi myrrha electa *Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, *Dedi suavitatem odoris. Gloria Patri. *Dedi suavitatem odoris.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Spiritûs sancti gratia illuminet sensus et corda nostra.

Resp. Amen.

Lectio iij. *Cap.* 2. ⟨*v.* 1–13⟩.

EGo flos campi . . . dederunt odorem suum.

℟. En dilectus meus loquitur mihi, *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

℣. Jam hyems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra : *Surge. Gloria Patri. *Surge.

Repetitur. ℟. En dilectus. *usque ad versiculum exclusivè.*

In II. Nocturno.

Antiph. Fulcite me floribus, stipate me malis ; quia amore langueo.

Psalmus. Deus noster. 42. ⟨6⟩.

Antiph. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

Psalmus. Deus judicium. 74. ⟨9⟩.

Antiph. Læva ejus sub capite meo ; et dextera illius amplexabitur me.

Psalmus. Benedixisti. 84. ⟨10⟩.

℣. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli,

℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Pater noster, etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Absolutio. Ipsius pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens. *Resp.* Amen.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. 2. *de Dormitione S. Mariæ.*

Lectio iv.

HOdie sacra et animata arca Dei viventis, quæ suum in utero concepit creatorem, requiescit in templo Domini quod nullis est extructum manibus : et David exultat ejus parens ; et cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, Virtutes glorificant, Principatus exultant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim. Hodie Edem† novi Adam paradisum suscipit animatum, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit

nostra nuditas. Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est; sed, cùm esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem gustaret? Sed cedit legi latæ ab eo quem genuit; et ut filia veteris Adam, veterem sententiam subiit (nam et ejus filius, qui est vita ipsa, eam non recusavit;) ut autem Dei viventis mater, ad illum ipsum dignè assumitur.

Respons. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? *Viderunt eam filiæ Sion et beatam dixerunt, et reginę laudaverunt eam.

℣. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens? *Viderunt. Gloria. *Viderunt.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ. *Resp.* Amen.

Lectio v.

EVa, quæ serpentis suggestioni assensum præbuit, partui dolores addidit, et cum Adamo morte est damnata perpetuâ; et mortis sententiâ damnatur, et inferorum collocatur penetralibus. Hanc autem verè beatam; quæ Dei verbo aures præstitit, et Spiritûs sancti operatione repleta est, atque ad Archangeli spiritalem salutationem sine voluptate et viri consortio Dei Filium concepit, et sine dolore aliquo peperit, ac totam se Deo consecravit; quonam modo mors devoraret? quomodo inferi susciperent? quomodo corruptio invaderet corpus illud in quo vita suscepta est? Huic recta, plana, et facilis ad cælum parata est via. Si enim, Ubi ego sum, illic et minister meus erit; inquit vita et veritas Christus: quomodo non potiùs Mater cum ipso erit? Jubilemus igitur in Arca Domini Dei toto animo; et muri cadent Jerichuntini, contrariarum, inquam, potestatum infestæ munitiones. Cum David exultemus spiritu: Arca enim Domini hodie requievit. Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos: Ave gratiâ plena Dominus tecum: Ave gaudii pelagus inexhaustum: Ave unicum molestiarum levamen: Ave omnium cordis dolorum medicamentum: Ave sancta Virgo, per quam mors quidem fuit expulsa, vita autem introducta.

Respons. Veni de Libano, sponsa mea; *Veni de Libano; *Veni, coronaberis.

℣. Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te: *Veni de Libano. Gloria. Veni, coronaberis.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.

Resp. Amen.

Lectio vj.

TU verò, ô sacrorum sepulcrorum sacratissimum, post

Domini quidem sepulcrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons resurrectionis ; tecum enim loquar tamquam cum animato ; ubinam est aurum illud purum, quod manus Apostolorum in te condiderunt ? ubi divitiæ quæ consumi nequeunt ? ubi pretiosus ille thesaurus qui vitam suscepit ? ubi novum volumen, in quo ineffabiliter Deus verbum sine manu inscriptum fuit ? ubi abyssus gratiæ ? ubi pelagus curationum ? ubi est desiderabile illud Deiparæ Virginis corpus ? Quid quæritis in sepulcro eam quæ ad cælestia translata est tabernacula ? cur à me custodiæ rationem exposcitis ? non possum ego divinis jussis resistere : sacrosanctum illud corpus, quod mihi quoque sanctitatem impertivit ac pretiosissimi unguenti fragrantiâ me replevit et divinum templum effecit, relictis sindonibus abiit raptum sublime, comitantibus Angelis, Archangelis, et omnibus cælestibus potentiis : nunc me circumdant Angeli, nunc divina in me habitat gratia : ego quasi officina medicinæ ægrotantibus ; ego fons perennis curationum ; ego remedium adversus dæmones ; ego civitas refugii omnibus ad me confugientibus.

Resp. Apparuit in cælo mulier amicta sole, *Et luna sub pedibus ejus, *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Vestivit solem nube, et sole ipsa vestitur : *Et luna, Gloria. *Et in capite. *Repetitur.* Apparuit. *usque ad* ℣.

In III. Nocturno

Ant. Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea.

Psalmus. Fundamenta. 85. ⟨10⟩.

Antiph. Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt.

Psalmus. Dominus regnavit, exultet terra. 93. ⟨10⟩.

Antiph. Quàm pulcra es, et quàm decora, charissima, in deliciis !

Psalmus. Cantate. 97. ⟨11⟩.

℣. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum,

℟. In quo Rex regum stellato sedet solio.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Absolutio. A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus.

Resp. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Evangelica lectio sit nobis salus et protectio.

Resp. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 10.

Lectio vij.

In ⟨illo⟩ tempore : Intravit Jesus in quoddam castellum : et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

De Assumpt. Serm. 1.

Quem in castellum mundi hujus intrantem priùs ipsa

susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscipit; nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit. Felix nimirum utraque susceptio; ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est. Ut quid enim ea hodie in Ecclesiis Christi evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse legitur Salvatorem? Credo, ut hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus æstimetur; imò ut juxta illius inæstimabilem gloriam, inæstimabilis cognoscatur et ista.

Respons. Beatam me dicent omnes generationes; *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; *Quia. Gloria. *Quia.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

Resp. Amen.

Lectio viij.

QUis enim, etiamsi linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute, Altissimi caro factum sit Verbum Dei per quod facta sunt omnia, et Dominus majestatis quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo. Sed et illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, et quanto devotionis affectu tot in ejus occursum cælestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quàm placido vultu, quàm serenâ facie, quàm divinis amplexibus suscepta à filio, et super omnem exaltata creaturam; cum eo honore, quo tanta mater digna fuit; cum ea gloria, quæ tantum decuit filium?

Respons. Beata es virgo Maria, Dei genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi; ecce exaltata es super choros Angelorum: *Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: *Intercede. Gloria. *Intercede.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Ad societatem civium supernorum perducat nos Rex Angelorum.

Resp. Amen.

Lectio ix.

FElicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verùm numquid non feliciora censebimus quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens et dicens: Osculetur me osculo oris sui? Christi generationem,

et Mariæ Assumptionem quis enarrabit? Quantùm enim gratiæ in terris adepta est præ ceteris, tantùm et in cælis obtinet gloriæ singularis. Quòd si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se: quod præparavit gignenti se, et (quod omnibus est certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix planè Maria, et multipliciter felix, sive cùm excipit Salvatorem, sive cùm a Salvatore suscipitur: utrobique mira dignitas Virginis matris; utrobique amplectenda dignatio majestatis.

Respons. Felix es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima; *Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Assumptionem: *Quia ex te. Gloria Patri. *Quia ex te. *Repetitur.* ℟. Felix es. *usque ad* ℣.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Laudes.

Antiph. Assumpta est Maria in cælum; gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Psalmus. Dominus regnavit, decorem indutus est. 5. ⟨1⟩.

Antiph. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Psalmus. Jubilate. 6. ⟨1⟩.

Antiph. In odorem unguentorum tuorum currimus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Psalmi. Deus Deus meus. 23. *et* Deus misereatur. 24. ⟨5⟩.

Antiph. Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructui vitæ communicavimus.

Canticum. Benedicite omnia opera. 6. ⟨1⟩.

Antiph. Pulcra es, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Psalmi. Laudate Dominum de cælis. 39. Cantate. *ibidem.* Laudate Dominum in sanctis ejus. *ibidem.* ⟨11⟩.

Capitulum. Apoc. 11†. ⟨xii. 1⟩.

Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

Resp. Deo gratias.

Hymnus.

Suprema cùm te jam dies,
Jam Virgo cælum poscéret;
Purum solutis artubus
Amor reclusit spiritum.
Sed victa partu mors tuo,
Te labis expertem nequit
Suis nec audet stringere
Vitæ parentem nexibus.
O qualis inter obvios
Regina scandit cælites!
Quàm pulcra, celsæ proxima
Sedi Tonantis assidet!
Amicta sole femina,
Lunamque subjectam prémens,
Bis sena cui cingunt caput
Fulgore miro sidera.

O tu, clientum cui preces,
Cui vota cordi, judicem
Præbere nobis, quod potes,
Patrona, placatum velis.
Sit nostra per te laus Patri
Tuoque grata Filio,
Et utriusque Flamini,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt,

℟. Quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

Antiph. Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?

Canticum. Benedictus Dominus Deus Israël. 119. ⟨16⟩.

Oratio.

VEneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in quâ sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit quæ Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum, Qui tecum vivit et regnat. etc.

Ad Primam.

Hymnus. Jam lucis. 121. ⟨18⟩.

Antiph. Assumpta est Maria in cælum; gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Psalmi de Prima Dominicæ, ut in Psalterio. 7. ⟨2⟩. Symbolum autem S. Athanasii omittitur.

Capitulum. 1. *Timoth.* 1.

REgi sæculorum, immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Resp. Deo gratias.

Responsorium breve. Christe Fili Dei vivi, miserere nobis.

℟. Christe Fili Dei vivi, miserere nobis.

℣. Qui natus es de Maria virgine.

℟. Miserere nobis.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Christe Fili Dei vivi, miserere nobis.

℣. Exurge Christe adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodie salva virtute; ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera: Per Dominum nostrum etc. *Resp.* Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Pretiosa in conspectu Domini

℟. Mors sanctorum ejus.

℣. Sancta Maria et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende :

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Deus in adjutorium meum intende :

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Deus in adjutorium meum intende :

℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Respice in servos tuos, Domine et in opera tua ; et dirige filios eorum.

℟. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos ; et opera manuum nostrarum dirige super nos ; et opus manuum nostrarum dirige. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. *Oratio.*

DIrigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cæli et terræ. hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros, in lege tua et in operibus mandatorum tuorum ; ut hîc et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens.

Resp. Amen.

Lectio brevis. Cant. 8.

QUæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Tu autem Domine miserere nostri.

Resp. Deo gratias.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedicite.

℟. Deus.

℣. Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Hymnus. Nunc sancte. 123. ⟨20⟩.

Antiph. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Psalmi de Tertia Dominicæ, ut in Psalterio. 10. ⟨3⟩.

Capitulum. Apocal. 11† ⟨xii. 1.⟩

SIgnum magnum apparuit in cælo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. *Resp.* Deo gratias.

Respons. breve. Exaltata est sancta Dei Genitrix, alleluia, alleluia.

℟. Exaltata est sancta Dei Genitrix, alleluia, alleluia.

℣. Super choros Angelorum, ad cælestia regna.

℟. Alleluia, alleluia.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Exaltata est sancta Dei Genitrix, alleluia, alleluia.

℣. Assumpta est Maria in cælum ; gaudent Angeli,

℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Oratio.

VEneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in quâ sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit quæ Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum, Qui tecum vivit et regnat etc.

Ad Sextam.

Hymnus. Rector. 123. ⟨20⟩.

Antiph. In odorem unguentorum tuorum currimus : adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Psalmi de Sexta Dominicæ, ut in Psalterio. 12. ⟨4⟩.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Resp.* Deo gratias.

Respons. breve. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, alleluia, alleluia.

℟. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, alleluia, alleluia.

℣. Laudantes benedicunt Dominum.

℟. Alleluia, alleluia.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, alleluia, alleluia.

℣. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum,

℟. In quo Rex regum stellato sedet solio.

Oratio. Veneranda. *ut suprà ad Tertiam.*

Ad Nonam.

Hymnus. Rerum. 124. ⟨21⟩.

Antiph. Pulcra es, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Psalmi de Nona Dominicæ, ut in Psalterio. 13. ⟨4⟩.

Capitulum. Cant. 8.

QUæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?

Resp. Deo gratias.

Respons. breve. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, alleluia, alleluia.

℟. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, alleluia, alleluia.

℣. In quo Rex regum stellato sedet solio.

℟. Alleluia, alleluia.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, alleluia, alleluia.

℣. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt,

℟. Quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

Oratio. Veneranda. *ut suprà ad Tertiam.*

Ad Secundas Vesperas.

Omnia ut in primis Vesperis, (229.) ⟨393⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Responsorium ante Hymnum omittitur.

℣. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt,

℟. Quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

Ad Magnificat Antiph. Hodie Maria Virgo cælos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum.

Ad Completorium.

Omnia ut suprà. 230. ⟨394⟩.

Infra Octavam Assumptionis B. Mariæ.

Semiduplex.

Officium fit ut in Communi per annum, (115.) ⟨13⟩, *exceptis iis quæ sequuntur.*

Ad Matutinum.

Invitatorium. Venite, adoremus Regem regum, cujus hodie ad æthereum Virgo Mater assumpta est cælum.

Hymnus. O quàm glorificâ. *ut in Festo Assumptionis.* 231. ⟨395⟩.

Antiph. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.

℣. Assumpta est Maria in cælum; gaudent Angeli,

℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Posuit Rex diadema regni in capite ejus.

Hymnus. Suprema. *ut in Festo Assumptionis.* 238. ⟨400⟩.

℣. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt,

℟. Quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

Ad Benedictus Antiph. Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Oratio.

Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in quâ sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum, Qui tecum vivit et regnat in unitate etc.

Ad Primam.

Antiph. Assumpta est Maria in cælum; gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Ad Tertiam.

Antiph. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix,

℟. Super choros Angelorum ad cælestia regna.

Ad Sextam.

Antiph. In odorem unguentorum tuorum currimus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

℣. Assumpta est Maria in cælum ; gaudent Angeli,

℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Ad Nonam.

Antiph. Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructui vitæ communicavimus.

℣. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum,

℟. In quo Rex regum stellato sedet solio.

Ad Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Pulcra es, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Hymnus. Quem terra. *ut in Festo Assumptionis.* 230. ⟨393⟩.

℣. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt,

℟. Quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

Ad Magnificat Antiph. Hodie Maria Virgo cælos ascendit : gaudete, quia cum Christo regnat in æternum.

Dominica infra Octavam Assumptionis.

Semiduplex.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni ; coronaberis.

Psalmi de Vesperis Sabbati, ut in Psalterio. III. ⟨II⟩.

Hymnus. Quem terra. *ut in Festo Assumptionis.* 230. ⟨393⟩.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix,

℟. Super choros Angelorum ad cælestia regna.

Ad Magnificat Antiph. Virgo prudentissima, quò progrederis, quasi aurora valdè rutilans ? filia Sion, tota formosa et suavis es, pulcra ut luna, electa ut sol.

Oratio. Veneranda. 242. ⟨404⟩.

Ad Completorium.

Omnia ut in Comm. per annum.

Ad Matutinum et cæteras Horas.

Omnia ut infra Octavam Assumptionis. 242. ⟨404⟩.

Ad Laudes fit commemoratio Dominicæ occurrentis, per Antiphonam et Orationem occurrentes, ut in Proprio de Tempore.

Ad Primam.

Lectio de Homilia.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 10.

IN illo tempore : Intravit Jesus in quoddam castellum ; et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia sancti Anselmi Episcopi.

Homil. 9.

DUæ istæ sorores, sicut Patres sancti plenissimè nobis exposuerunt, duas in sancta Ecclesia vitas designant, Martha scilicet activam, Maria contemplativam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia ; illa vacat et videt quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupatur ; illa interiora contemplatur. Sicut enim

Mater Dei est singularis ; ita et istarum vitarum effectus, quarum istæ sorores typum tenent, in ea extitit singularis. Numquam in aliqua persona, imò in omnibus, sic Martha operata est ; numquam aliàs sic Maria contemplationi vacavit. Jam videamus actionem hujus Marthæ. Ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit ; nudum, carne vel etiam pannis operuit ; esurientem pavit ; comprehenso et crucifixo affuit. Porrò de parte Mariæ, quanta in Maria fuerit quis dignè loquatur ? Hæc conservabat omnia verba, Angelorum, Pastorum, Magorum, necnon ipsius filii sui, conferens in corde suo. Nemo unquam sicut ipsa gustavit quàm suavis est Dominus. Nec mirum ; quoniam apud eam, imò intra eam, erat fons vitæ. Circa plurima, ut Martha, occupabatur : circa unum, ut Maria, delectabatur. Sed pars Marthæ ei aufertur : jam enim non erit sollicita ut ministret ei sicut puero ; jam non turbabitur fugiens in Ægyptum ; jam filius Mariæ non flagellabitur nec occidetur. Pars ergo Marthæ ei aufertur ; sed bono suo : pars vero Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea.

Die xvi. Augusti.

De Octava Assumpt.

Semiduplex.

Omnia ut infra Octavam Assumptionis. 242. ⟨404⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Rochi Confessoris.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessorum.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Adesto. xv. ⟨530⟩.

Die xvii.

De Octava Assumpt.

Semiduplex.

Omnia ut infra Octavam Assumptionis. 242. ⟨404⟩.

Die xviii.

In commemoratione

Victoriæ Philippi Pulchri.

Duplex minus.

Ad Primas Vesperas.

Omnia ut in primis Vesperis Dominicæ infra Octavam Assumptionis (243.) ⟨405⟩ *præter Psalmos, qui dicuntur de Vesperis Feriæ occurrentis, ut in Psalterio.*

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum. 125. ⟨22⟩.

Ad Matutinum et cæteras Horas.

Omnia ut infrà Octavam Assumptionis. 242. ⟨404⟩.

Ad Primam.

Lectio.

PHilippus Pulcher, Rex Francorum, anno Domini millesimo trecentesimo quarto circa festum sanctæ Mariæ Magdalenæ cum fratribus suis Carolo et Ludovico magnisque copiis in Flandriam tertiò profectus, ad Montem in Pabula, reperto illic

Flandrorum rebellium exercitu, castrametatus est. Cùm autem die decimâ octavâ Augusti, quæ feria erat tertia post Assumptionem Mariæ Virginis, Franci à primo diluculo ad prælium accincti stetissent in armis, defessique sub vesperam quieti se dedissent; hostes facto impetu Regis castra eo furore adorti sunt, ut ipse vix spatium nancisci potuerit deposita jam arma induendi. Pugnatum est initio non sine magno vitæ Regis discrimine. Sed paulo pòst, ad ejus tentorium, ubi atrox erat dimicatio, Franci undique concurrentes insignem de hostibus victoriam reportarunt. Hanc non humanis viribus tribuendam, sed à Deo suffragante Deiparâ concessam, Rex pius statim intellexit: inde summa cum reverentia et animi demissione laudem omnem et victoriæ decus ei ascripsit qui justissimæ causæ defensorem injuriarumque ultorem se è cælo præbuerat. Quò autem accepti tanti beneficii memoria posteritati transmitteretur, debitusque Virgini Mariæ ob impetratum ejus precibus cæleste auxilium haberetur honos; Philippus, diplomate datò in castris prope Insulam, anno eodem, mense Septembri, Ecclesiæ Parisiensi concessit centum libras Parisienses annui et perpetui reditûs, à Decano et Capitulo nomine Ecclesiæ possidendas, eâ lege, ut reditus illi iis solummodo distribuerentur qui primis hujus diei Vesperis Matutinorumque ac Missæ solemniis interessent. Reversus postea Luteciam, in ejusdem Basilicæ pronao statuam suam equestrem, eamque armatam, coràm beatæ Virginis imagine, in perenne collati beneficii monimentum erigi voluit.

Die xix.

De Octava Assumpt.

Semiduplex,

Omnia ut infrà Octavam Assumptionis. 242. ⟨404⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Agapeti Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Lætetur. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

De S. Agapeto.

AGapetus Prænestinus, quindecim annos natus, ob summam in fide constantiam Aureliani Imperatoris jussu primùm nervis diutissimè cæsus, deinde in tetro carcere per quatuor dies inediam passus, tum ardentibus carbonibus capiti ejus impositis, multis affectus verberibus, nudus ita pedibus suspensus est ut ingens fumus è subjecto igne os ejus obrueret. Pòst fervens aqua ejus ventri affusa est, maxillæque confractæ. Quo tempore judex è tribunali lapsus, brevi mortuus est. Eâ re incensus Imperator sanctum juvenem jussit feris objici; quæ cùm Martyrem non auderent attingere, Præneste gladio percussus est.

DIE XX.

In Festo

S. BERNARDI ABBATIS.

Duplex minus.

Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis, (xiv.) ⟨529⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint. *ut in Communi Doctorum.* xiij. ⟨529⟩.

Oratio. Excita. xiv. ⟨529⟩.

AD LAUDES.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Fit commemoratio Assumptionis beatæ Mariæ.

Antiph. Quæ est ista. *ut in Officio infrà Octavam Assumptionis.* 242. ⟨404⟩.

℣. Paradisi. *ibidem.*

Oratio. Veneranda. *ibidem.*

AD PRIMAM.

Lectio.

BErnardus, Fontanis in Burgundia nobilibus et piis parentibus natus, anno ætatis vicesimo secundo Cisterciense monasterium cui Stephanus Alberici successor præerat, ingressus est; ejusque exemplo socii plusquam triginta idem vitæ genus amplexi sunt. Quò autem se ad arctiorem Regulæ observantiam excitaret, hoc sæpiùs in ore habebat; Bernarde, ad quid venisti? Eos Scripturæ sacræ meditatione in pietate fecit progressus, ut à Stephano Abbate ad construendum Claravallense Monasterium, juvenis licèt, mitteretur. Cujus postea loci Abbas designatus, à Guillelmo Catalaunensi Episcopo, sede Lingonensi vacante, benedictionem accepit. Ibi pro victu pulmenta, sæpiùs ex foliis; panis, ex hordeo, milio et vicia: humiles erant casæ; solitudo ingens in magna fratrum multitudine; silentiique tanta observantia, ut media die, præter laborantium strepitus et voces laudantium Deum, nihil penitus audiretur. Tùm legem sibiipsi imposuit Bernardus, è monasterio numquam exeundi, nisi aut urgerent Ordinis sui negotia, aut ab Apostolicæ sedis Legato, vel proprio Episcopo evocaretur. Interfuit Concilio Trecensi sub Honorio secundo, in quo Templariis Militibus Regulam præscripsit. Remensem populum Archiepiscopo reconciliavit. Pontificatum asseruit Innocentio secundo, quem Petrus Leonis, usurpato Anacleti secundi nomine, Româ expulerat: cùm enim, coacto Stampis Concilio, Rex et Antistites rem totam ad unius Bernardi arbitrium detulissent; Innocentium legitimum esse Petri successorem declaravit. Henricum tertium, Angliæ Regem, partes Anacleti cum Episcopis Anglicanis tuentem, ita flexit, ut Innocentio Carnutas usque obviam processerit. Tum Bernardus, solutâ synodo Pisanâ cui affuerat, Mediolanenses et Aquitanos, qui Anacletum fovebant, ad unitatem Ecclesiæ revocavit; Ducemque Aquitaniæ Guillelmum, expositâ cum obtestatione ob oculos ejus tremendâ Hostiâ, adeo terruit, ut

abjecto schismate, ad saniorem mentem subitò redierit. Imperatorem Lotharium jus investiturarum sibi vindicantem solitâ loquendi libertate reprehendit, et à susceptis consiliis dimovit. Romam accitus, Victori qui Anacleto et ipse Pseudopontifex subrogatus fuerat, persuasit ut Innocentio obsequeretur. Claravallem reversus, sancti Anastasii Monasterio, quod ad Aquas Salvias propè Romam extruxerat, eum præfecit Abbatem qui Innocentio suffectus, Eugenius tertius appellatus est ; ad quem etiam scripsit libros de Consideratione. Eo hortante, sacra in Saracenos expeditio suscepta est, quæ tamen felicem exitum non habuit. Hinc multorum agitatus calumniis ; Si necesse est, inquiebat, è duobus unum fieri, malo in nos murmur hominum quam in Deum esse ; bonum mihi si dignetur me uti pro clypeo. Abaïlardum confutavit in Senonensi Concilio ; et in Remensi adversùs Gilbertum Porretanum Pictavensem Episcopum quem erroris convicerat, symbolum condidit : qui ambo postea ad sanam doctrinam reversi sunt. Henricianam hæresim in Tolosatibus repressit ; et Radulfum Monachum damnavit, qui interficiendos esse Judæos contendebat. Sub vitæ exitum, graviora inter civitatem Metensem et vicinos principes orta dissidia diremit. Oblatos quinque Episcopatus recusavit. Tot inter negotia sacrificium Missæ celebrare vix aliquando intermisit. Cùm denique annum vitæ sexagesimum tertium ageret ; miraculorum magnitudine et numero clarissimus, Claravalle obdormivit in Christo ; sepultusque est ante altare beatæ Virginis, quam religione singulari coluerat : pectori verò, uti præceperat, capsula reliquiarum sancti Thaddæi Apostoli, in tumulo superposita est.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor. *ut in Communi Doct.* xiv. ⟨529⟩.

Die xxi.

De Octava Assumpt.

Semiduplex.

Omnia ut infrà Octavam Assumptionis. 242. ⟨404⟩.

Die xxii.

In Octava Assumpt.

Duplex majus.

Ad primas Vesperas et ad Completorium, omnia ut in Dominica infrà Octavam Assumptionis, (243) ⟨405⟩, *exceptis Psalmis, qui dicuntur de Feria occurrente.*

Ad Matutinum et cæteras Horas, omnia ut in Officio infrà Octavam Assumptionis, (242) ⟨404⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Symphoriani Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit :

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

Sancti Martyris Symphoriani merita nos, Domine, pretiosa

tueantur, in quibus tuæ Majestatis opera prædicantes, et præsens capiamus adjutorium et futurum: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

De S. Symphoriano.

SYmphorianus, Augustoduni, patre Fausto nobili et Christiano oriundus, cùm simulacrum Berecynthiæ, plaudente populo, per urbem carpento veheretur, ad tantum scelus exhorruit, et idolum se adoraturum negavit. Quare ad Heraclium virum Consularem tamquam seditiosus statim adducitur; qui loris cæsum, in carcerem conjecit: unde eductus postea, et coram eodem judice Christum prædicans, capite damnatus est, imperante Aureliano. Qui cùm ad supplicium duceretur, matrem sic clamantem audivit: Nate, nate, Symphoriane, memento Dei vivi; sursum, fili, erecto corde, aspice regnantem in cælis: hodie tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Igitur extra muros eductus, à carnifice occisus est. Non procul à loco martyrii, Euphronius Presbyter ac postea Æduensis Episcopus in memoriam ejus basilicam extruxit.

Die xxiii.

In Vigilia

S. Bartholomæi Apostoli.

Simplex.

Officium fit de Feria cum Oratione sequenti.

Oratio.

COncede quæsumus, Domine fidelibus tuis dignè sancti Bartholomæi Apostoli tui celebrare solemnia; ut ejus et hîc experiantur auxilia, et æternis effectibus apprehendant: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Timothei et Apollinaris Martyrum.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

MArtyrum tuorum Timothei et Apollinaris, quæsumus, Domine, continuâ intercessione super nos misericordiam tuam multiplica; ut quorum patrociniis confidimus, ipsorum suffragiis perpetuæ salutis auxilium nobis adesse sentiamus: Per Christum Domnum nostrum.

Die xxiv.

In Festo

S. Bartholomæi Apostoli.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apostolorum, (j.) ⟨518⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam sanctamque lætitiam in beati Apostoli tui Bartholomæi festivitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ,

quæsumus, et amare quod credidit, et prædicare quod docuit: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Audoeni Episcopi.

Antiph. Euge serve bone. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨528⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Da quæsumus. xj. ⟨527⟩.

Ad Primam.

Lectio.

BArtholomæus Galilæus, in Indiam citeriorem profectus Christi fidem gentibus illis prædicavit juxta sancti Matthæi Evangelium, quod hebraicè conscriptum iis reliquit, et ad Pantæni usque tempora ibi servatum est. Cùm enim, ut Sanctus Hieronymus refert, Pantænus in Indiam, rogatus ab illius Gentis legatis, missus esset à Demetrio Alexandriæ Episcopo; ibi reperit Bartholomæum de duodecim Apostolis adventum Domini Jesu juxta Matthæi Evangelium prædicasse, quod hebraicis literis scriptum revertens Alexandriam secum detulit. Cùm autem Bartholomæus plurimos infideles ad Christum convertisset; detractâ pelle, martyrium decollatione complevit. Multo post ejus obitum interjecto tempore, exortâ iterum in Christianos persecutione, irati gentiles quòd concursus ad Apostoli sepulcrum fieret, eique preces ac thura deferrentur, corpus ejus loculo plumbeo inclusum in mare projecerunt: Ne inquiebant, ampliùs esset populis erroris occasio: sed inde virtute divinâ emersit. Ad Liparam postea insulam delato ampla basilica superstructa est, compluribus mox nobilitata miraculis. Anno autem Domini circiter octingentesimo quadragesimo, Saracenis Siciliam invadentibus, eique adjacentem Liparam insulam devastantibus, sancti Bartholomæi ossa Beneventum allata sunt; ac deinde Romam ab Ottone tertio Imperatore translata.

Audoënus, qui et Dado, Sanciaci in agro Suessionensi parentibus piis et nobilibus natus, Custos fuit Anuli Dagoberti Regis, eique ita acceptus ut ad illius arbitrium omnia Palatii negotia gererentur. Socium habuit in aula Eligium: et utriusque operâ, cùm promovendis Regni et Ecclesiæ rebus adhuc laici studerent, celebrata fuit synodus Aurelianis in qua Monothelita quidam, qui ex Asia pulsus in Galliam venerat, ab iis convictus est erroris; quamquam præ modestia, honorem victoriæ Salvio Episcopo, postea Martyri, tribuerint. Uterque eodem die comam deposuit, et clero addictus est. Cùm autem Audoënus Romano Rotomagensi successor fuisset electus, non ignarus quam periculosum esset subitò Episcopum consecrari, abjectis statim omnibus Palatii curis, in varias Galliæ provincias, deinde in Hispaniam profectus, ubique verbo et opere Christi fidem confirmavit. Unde reversus, eodem die cum Eligio Episcopus consecratus est, ac deinceps pastoralibus curis totum se dedidit. Sedit in Concilio

Cabilonensi. Limina Apostolorum petiit, Adeodato Pontifice. Palatii Majores dissidentes inter se conciliavit : inter Neustriæ et Austriæ populos, Coloniam profectus, pacem composuit ; unde cùm rediret, apud Clippiacum prope Luteciam febre correptus, impetrato à Theodorico Rege successore Ansberto, nonagenarius, anno pontificatûs quadragesimo quarto, cælo receptus est. Corpus ejus Rotomagi in Basilica Principis Apostolorum conditum est, cui et nomen dedit.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio S. Ludovici.

Antiph. Faciet tibi Dominus domum fidelem, quia prælia Domini tu præliaris.

℣. Prævenisti eum, Domine, in benedictionibus dulcedinis :

℟. Posuisti in capite ejus coronam de làpide pretioso.

Oratio. Deus qui. *ut infrà ad Laudes.*

Die xxv.

In Festo

S. Ludovici Regis

Franciæ. Duplex majus.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Regum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus.

Rex summe Regum, qui potenti numine
Quo sunt creata regna nutu dividis,
Dum thure fumant templa, voce personant,
Audi profusas Regis in laudem preces.
Nascens in ipsa Ludovicus purpura,
Sceptris avitis admovet puer manus ;
Piæque ductu matris, ignarus mali,
Servire Christo discit antequam regat.
Justi severus cultor, urbes legibus,
Amore cives continens, hostes metu,
Pietate cælum flectit, aras excitat,
Deoque templa, tecta nudis erigit.
Mox Christiani sanguinis vindex pius
Emensus æquor, inque litus barbarum,
Vexilla pandens, urget armis impios,
Unoque vitam pro Deo paciscitur.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quæ gubernans omnia,
Per cuncta regnat sæculorum sæcula. Amen.

Antiph. Dominus dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex.

℣. Corona aurea super caput ejus

℟. Expressa signo sanctitatis et glorià honoris.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Fecit quod erat bonum coram Domino ; non fuit similis ei de cunctis

Regibus ; adhæsit Domino, et non recessit à vestigiis ejus.

Hymnus.

TE sancte rursus Ludovice prælia
Divina poscunt : tu Crucis clavum tenens,
Speique sacras anchorâ fundans rates,
Moves tyrannis bella, Christo militas.
Vincis cadendo, mors tibi victoriam
Aufert et addit : corpus hîc palmæ tegunt
Nondum sepultum, sed triumpho nobili
Cælum paratur et coronis sidera.
Tuus paternæ redditus terræ cinis
Regnum tuetur, dum throno præsens Dei
Æterna regnans pascis inter lilia,
Favensque blando nostra cernis lumine.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quæ gubernans omnia
Per cuncta regnat sæculorum sæcula. Amen.

℣. Sicut divisiones aquarum ;
℟. Ita cor Regis in manu Dei.

Ad Benedictus Antiph. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum Regem Domini Dei tui.

Oratio.

DEus qui beatum Ludovicum Confessorem tuum de terreno regno ad cælestis regni gloriam transtulisti, ejus, quæsumus, meritis et intercessione, Regis Regum Jesu Christi filii tui facias nos esse consortes : Per eumdem Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, ut esset dux super populum suum.

Lectio.

LUdovicus, hujus nominis nonus, patri Ludovico duodecim annos natus in regnum Francorum successit. Hunc Blanca mater, sub cujus tutela relictus fuerat, omni curâ ad pietatem instituit, illi dicere solita, Mallem te, fili, regno et vitâ privari, quam letali aliquo peccato tuum offendere Creatorem. In ipso regni exordio viros optimos et eruditissimos cùm è clericis tùm è laicis in consilium adhibuit ; et Albigenses perduelles, paternis jam armis impetitos, subegit. Rebus omnibus cum finitimis principibus compositis, totum se divino cultui dedit. De Judæis, Hæreticis, et excommunicatis leges tulit. Usuras, duellum, et blasphemias prohibuit : histriones ac parasitos aulâ exegit : decimas jamdudum Ecclesiæ ereptas restitui jussit, cavitque ne imposterum laici eas invaderent : atque ita se gessit, ut illum plebs parentem, nobiles principem ac legum conservatorem, Francia verum Regem, Ecclesia protectorem prædicaret. Vicesimo ætatis anno, gravi morbo affectus

ad recuperandam Jerosolymam animum adjecit ; atque ubi convaluit, contractis copiis ingentibus acceptoque vexillo à Galtero Episcopo Parisiensi, matri commissâ totius regni curâ, mare trajecit. Et primo quidem prælio superior Saracenos fugavit : sed cùm ex pestilentia magnus militum numerus periisset, victus ipse captusque est. Tum de suorum magis quàm de sua redemptione et libertate solicitus, egit de pace cum Saracenis : qui cùm, nisi pacta servarent, Mahumetem ejuraturos se pollicerentur ; et à Ludovico vicissim postularent, ut nisi conventis staret, Christum quoque negaturum se sponderet : Absit, inquit pius Princeps, ut hoc unquam tam impium verbum ore meo excidat. Duci verò minas et cruces intentanti nisi in hunc modum juraret, promptus ad martyrium respondit ; Etsi corpus meum occideritis, animum tamen à tanto scelere purum servabo. Pacto fœdere, Rex cum exercitu liber dimittitur : neque tamen abire voluit Saracenis insciis, antequam Byzantiorum decem millia quæ ex redemptionis pretio solvenda supererant, fuissent numerata. Annos quinque in Syria commoratus, Christianos multos è vinculis eripuit, barbaros fidei præceptis imbuit, et Christianorum aliquot urbes et castra suis sumptibus instauravit. Mortuâ matre in Galliam redire coactus, impetravit à Legato Apostolico ut sacra Eucharistia ad communionem infirmorum in navi reponeretur. Reversus in regnum, multa ædificavit monasteria et pauperum hospitia. Inter cetera, Parisiis Nosocomium ad ædem beatæ Virginis auxit : cæcis egentibus, domum ; Cartusiensibus, Guillelmitis, et Carmelitis, cænobia extruxit : Minoritarum et Prædicatorum ædes absolvit. Frequens visebat ægrotos, quibus non modò suis sumptibus, sed et manibus ipsis, necessaria subministrabat. Vestitu vulgari utebatur ; statisque diebus cilicio et jejunio corpus affligebat. Cùm in Africam trajecisset bellum denuo Saracenis illaturus ; jamque captâ Carthagine, castra prope Tunetum in eorum conspectu posuisset ; mortem imminere sentiens, documenta Rege digna Christianissimo, suâ manu conscripta, Philippo primogenito et successori suo tradidit : eaque verba pronuntians, Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo Domine ; vitam Deo reddidit, anno millesimo ducentesimo septuagesimo. Eum miraculis illustrem Bonifacius octavus Sanctorum albo inseruit. Ossa ejus apud Sanctum Dionysium religiosè asservantur.

Ad Tertiam.

Antiph. Sedens in solio judicii, omne malum dissipavit intuitu suo.

℣. Prævenisti eum, Domine, in benedictionibus dulcedinis :

℟. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Ad Sextam.

Antiph. Misericordia et veritas

custodierunt illum : roboratus est clementiâ thronus ejus.

℣. Corona aurea super caput ejus,

℟. Expressa signo sanctitatis et gloriâ honoris.

Ad Nonam.

Antiph. In omni opere dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo gloriæ.

℣. Thronus ejus clementiâ firmatus est :

℟. Veritas et misericordia servaverunt eum.

Ad Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum ; et dedit illi Deus contra inimicos potentiam.

Hymnus. Rex summe. *ut suprà ad Matutinum.*

℣. Sicut divisiones aquarum ;

℟. Ita cor Regis in manu Dei.

Ad Magnificat Antiph. Quia diligit Deus populum suum, et vult servare eum in æternum ; idcirco posuit te super eum Regem.

Die xxvii.

In Festo

SS. Georgii, Aurelii, Felicis, Nataliæ, et Liliosæ, Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum (viij) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendis, da mentibus nostris eamdem fidei charitatisque virtutem ; ut sanctorum tuorum Georgii et sociorum, quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Georgius, origine Bethleemitanus, vir miræ abstinentiæ, monasterii sancti Sabbæ, quod est Jerosolymis proximum, Monachus, ac Diaconus, à David Abbate suo missus est in Africam ad colligendam stipem pro Monachis. Inde Carthaginiensis Episcopi consilio profectus in Hispaniam ubi Abderachman Saracenis imperabat, Cordubæ divertit apud Aurelium genere Saracenum sed religione Christianum, qui Nataliam ex parentibus Christum occultè colentibus genitam duxerat. In eadem domo erant Felix Aurelii frater, Felicisque uxor Liliosa : qui omnes in abscondito Christum colebant cum omni pietate, castitate, et jejuniis ; ac subeundæ pro ejus nomine mortis desiderio ardebant. Igitur anxiè quærentibus qua ratione ad martyrium pervenirent, subiit animum hæc cogitatio, ut Natalia et Liliosa publicè Ecclesiam ingrederentur. Quo de uxorum facinore interrogati mariti cùm respondissent eas, ex more fidelium, Ecclesias et atria Mar-

tyrum adire; omnes sunt comprehensi. Cùm autem Georgius, iis adjungi cupiens, crudelitatem lictoribus exprobraret; calcibus et pugnis acerrimè contusus, unà cum aliis ad judicem adductus est. Aurelio et Nataliâ, Felice et Liliosâ, morte damnatis; facta est Georgio abeundi copia, quòd neque à Saracenorum sectâ, defecisset, ut ceteri, neque de Mahumete mali quicquam esset locutus. Verùm id ubi comperit Georgius, magnâ animi libertate Mahumetis perfidiam detestatus est; sicque meruit pari cum hospitibus affici supplicio. Qui cùm unà omnes ad forum perducerentur; Nataliam, eò quod virum suum ad palmam hortaretur, humi postratam†, evulsis capillis, pugnis et calcibus lictores immaniter ceciderunt. Ubi autem ad locum supplicii ventum est; Felicem primùm, tum Georgium, deinde Liliosam, ac demum Aurelium et Nataliam gladio interemerunt, anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, sexto Kalendas Augusti. Corpora sanctorum Georgii et Aurelii cum capite beatæ Nataliæ postea Parisios in basilicam sancti Germani Pratensis translata sunt.

Die xxviii.

In Festo

S. Augustini Episcopi et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessorum Pontificis (xj.), ⟨526⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Oratio.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus; et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Fit Commemoratio S. Juliani Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

DEus, qui nos beati Juliani Martyris tui concedis natalitio perfrui, ejus nos tribue meritis adjuvari: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

AUgustinus Tagaste in Africa natus, inter alia Fidei rudimenta edoctus est à matre signare se signo Crucis. Patre mortuo studiorum causâ Carthaginem missus, non modo turpium amorum ac spectacu-

lorum captus est illecebris ; sed et in varios Manichæorum errores incidit, seductus, ut ipse ait, et seducens. Mox Romam, deinde Mediolanum proficiscitur eloquentiam professurus ; ubi cum Ambrosii frequens esset auditor, paulatim in Catholicos propensior factus, sacros codices à quorum lectione propter styli simplicitatem priùs abhorrebat, evolvere studiosiùs cœpit. Tandem cùm sub ficu prostratus vocem cælitùs demissam audisset ; totus ad Deum conversus est, et ab Ambrosio annos natus triginta tres baptizatus. Cùm patriam repeteret, matri ad Ostia Tiberina defunctæ extrema Christianæ pietatis officia persolvit. Mox trajecit in Africam : ibique rus se recepit, uni Deo vacaturus. Hipponem regium evocatus ut amicum quemdam Deo lucraretur, raptus à populo, invitus atque ubertim flens, Presbyter ordinatus est à Valerio Episcopo : qui cùm genere Græcus esset, non satis latinè sciret ; potestatem ei fecit in Ecclesia coram se Evangelium prædicandi, idque ex more Orientalium, sed præter Africanæ totiusque Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem. Tum Augustinus, qui statim à baptismo Manichæos refellere cœperat, jam Presbyter, totus in eo fuit ut amicos ab eâ sectâ revocaret. Publicè confutavit Fortunatum : scripsit contra Adimantum : Hippone in plenario totius Africæ Concilio de fide et Symbolo jubentibus Episcopo disputavit. Veritus autem Valerius jam senior ne sibi Augustinus ab aliis Ecclesiis præriperetur, à Primate aliisque Numidiæ Episcopis impetravit ut sibi adhuc viventi daretur coëpiscopus. In episcopatu communem vitæ rationem cum Clericis instituit, nihil sibi proprium retinens. In vestibus ac supellectili modestus erat ; parcus in mensa, quam lectione aut disputatione, exclusâ penitus obtrectatione, semper condiebat. Mulieres numquam alloquebatur sine arbitro. Plebem assiduè erudiebat : causis etiam audiendis ac dirimendis sæpe jejunus per totam diem vacabat. Cùm in rebus dubiis consuleretur, neque aliorum facile damnabat sententiam, neque suam pertinaciter tuebatur. Ut Donatistas, quos variis antea scriptis ac disputationibus insectatus fuerat, ad unitatem revocaret ; auctor fuit ut ad Ecclesiam redeuntibus suus ordo gradusque restitueretur ; paratus etiam, si res postularet, Episcopatu cedere. In Mauritaniam missus à Zosimo, Eremitum Episcopum palàm convicit. Pelagianorum heresim profligavit : exorientes in Gallia Semipelagianos morti jam proximus repressit. Vandalis tertium jam mensem Hipponem obsidentibus, in gravem morbum cùm incidisset ; psalmos qui ad pœnitentiam pertinent, in quaternionibus descriptos et ad parietem affixos jacens in lecto profusis lacrymis lectitabat. Solebat autem dicere laudatos etiam Christianos et Sacerdotes citra pœnitentiam de corpore exire non debere. Migravit ad Dominum anno ætatis septuagesimo sexto, episcopatus tri-

gesimo sexto; quo tempore propter doctrinæ celebritatem nominatim invitatus fuerat à Theodosio ad Concilium Ephesinum. Pro commendanda corporis dispositione, sacrificium Deo oblatum est. Testamentum nullum fecit; quia unde faceret, ait Possidius, Christi pauper non habuit. Corpus ejus primùm in Sardiniam, postea Papiam translatum est.

Vesperæ de Festo sequente.

Die xxix.

In Festo

Decollationis S. Joannis Baptistæ.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi: ne formides à facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum.

Hymnus.

Ecce saltantis pretium puellæ
Fertur in disco caput amputatum:
Hæc cruentatis nova proferuntur
Fercula mensis.

Quæ rudes silvis populos docebat,
Quæ Deum totâ resonabat aulâ,
Illa Vox crudo resecata ferro, Muta silebit.

Occidit vates, et adhuc timetur:
Vox silet Verbi; cruor ille clamat,
Sancta fraterni temerata carpit
Fœdera lecti.

Nube sub densâ jubar involutum
Venerat cæcis aperire sæclis:
Sole maturo, velut umbra, cessit
Lucifer orbe.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi compar utriusque nexus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

℣. Glorià et honore coronasti eum Domine:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Antiph. Herodes cùm corriperetur à Joanne de Herodiade uxore fratris sui et omnibus malis quæ fecit; adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere.

Oratio.

Sancti Joannis Baptistæ, Præcursoris et Martyris tui, quæsumus, Domine, veneranda solemnitas salutaris auxilii nobis præstet effectum: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Martyrum Dominum, venite adoremus.

Hymnus. Ecce. *ut ad primas Vesperas.*

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, et non confundebar: et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,
℟. De lapide pretioso.
Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Dico vobis quia Elias jam venit; et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.

Hymnus.

OMnibus manat cruor ecce venis;
Hinc sitim longam satia Tyranne,
Et cibos inter paterasque puro
Sanguine liba.

Ut caput vidit dapibus paratis
Triste fumanti natitare tabo;
Hæsit, impastis fremuitque mensis
Funeris autor.

Non tamen frontis gravitas serenæ
Cessit immiti violata ferro:
Dura mitescit placido sub ore
Mortis imago.

Sic suo rursum Deus hunc præire
Nuntium Christo jubet, inferisque
Ferre præconem nova liberandi
Gaudia mundi.

Qui Deo plenus rigidis futurum
Moribus Christum rudis exprimebat,
Debuit dirâ quoque morte totum
Reddere Christum.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi compar utriusque nexus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

℣. Justus ut palma florebit:
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus Antiph. Abiens autem spiculator decollavit Joannem in carcere, et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ; et puella dedit matri suæ.

Fit commemoratio S. Mederici Abbatis.

Antiph. Domine, quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas:
℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

SPerantes in misericordia tua, Deus, intercedente beato Mederico Confessore tuo, cælesti protege benignus auxilio: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Herodes tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Marcum. *Cap.* 6. ⟨*v.* 17–29.⟩

Misit Herodes, ac tenuit Joannem ... posuerunt illud in monumento.

Lectio de S. Mederico.

Medericus Augustodunensis anno ætatis decimo tertio à parentibus, quamvis primùm reluctantibus, in monasterio Deo oblatus, tantâ vitæ asperitate fuit, ut nonnisi pane hordeaceo et aquâ, idque bis solùm in hebdomada, reficeretur, perpetuoque cilicio carnem domaret. Abbas electus, ministerium suum implevit verbo, exemplo, et signis. Monachum à libidinis æstu, impositâ illi suâ tunicâ, liberavit: alium quoque Satanæ artibus in oratorio inquietum per Eulogias à se benedictas curavit. Cùm verò ad eum ex variis regionibus multi contenderent, desertum petiit locum: ex quo, jubente sub excommunicationis pœna Episcopo, revocatus est. Deinde hortante sancto Frodulfo, quem de lavacro susceperat, Luteciam orationis causâ proficiscens, infirmitate correptus substitit in monasterio Campellensi prope Melodunum, ubi in carcere detentos divinitùs solvit. Hinc ad suburbana Luteciæ venit: ubi cùm in cellula sancti Petri ægritudine rursum conflictatus triennio ferè mansisset; ex hac vita in cælestem migravit, sepultusque est in eadem cellula ubi postea basilica sub ejus nomine constructa est. Corpus è tumulo in capsam translatum est anno octingentesimo octogesimo quarto, Gosilino Parisiensi Antistite.

Ad Tertiam.

Antiph. Dicebat Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine,

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Antiph. Puellæ saltanti imperavit mater: Nihil aliud petas nisi caput Joannis.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

Ad Nonam.

Antiph. Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Misso Herodes spiculatore præcepit afferri caput Joannis in disco.

Hymnus. Ecce. *ut ad primas Vesperas.*

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnificat Antiph. Accedentes discipuli Joannis tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu.

Fit commemoratio S. Fiacrii Confessoris.

Antiph. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam suprà petram.

℣. Justus germinabit sicut lilium:

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Oratio. Misericordiam . *ut in Festo sequente.*

Die xxx.

In Festo

S. Fiacrii Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, (xiv.) ⟨529⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

Misericordiam tuam, Domine, quæsumus, interveniente beato Fiacrio Confessore tuo, clementer impende; et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Felicis et Adaucti Martyrum.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum, quorum celebramus victorias, participemus præmiis: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Fiacrius, qui et Fefrus, in Hibernia quam veteres Scotiam appellabant, nobilibus parentibus ortus, Meldos ad sanctum Faronem, solitariæ vitæ desiderio, cum aliquot sociis venit. Cujus votis annuens beatus Pontifex, locum à turbis remotum et silvis circumtectum è patrimonio suo, nomine Brogilum, illi concessit. Ibi Fiacrius, evulsis arboribus, Monasterium in honorem sanctissimæ Virginis construxit, in quo peregrinos et hospites excipiebat, exiguâ sibi seorsum ædificatâ domo. Cùm autem virtutum ejus fama longè diffunderetur; undequaque ad eum adducebantur infirmi, quos solâ manûs impositione sanitati restituebat. Mulieres Oratorii sui aditu omnino prohibuit. Fuit ei sanguine conjunctus beatus Chillenus, à sancto Farone postea missus ad Atrebates; quem ex Romana peregrinatione revertentem suscepit Fiacrius et apud se retinuit aliquandiu, cum ipso divinis colloquiis vacaturus. Miraculis illustris, labente sæculo septimo vitâ functus est. Corpus in Oratorio sepultum mansit ad annum usque millesimum ducentesimum tricesimum quartum, quum sublatum è tumulo per Philippum Meldensem Episcopum, ibi venerationi fidelium est expositum: unde anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo ad Ecclesiam Cathedralem translatum est, ne in illud Calviniani pro more suo impiè desævirent. Locus tamen sancti Anchoretæ vestigiis et conversatione consecratus, magno populorum concursu frequentari non desiit.

Felix, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, Romæ propter susceptam Christi religionem comprehensus, in Serapidis templum adductus est. Cui sacrificare cùm juberetur, os simulacri conspuit. Quo facto, statim ærea statua corruit. Quod cùm iterum ac tertiò in æde Mercurii Dianæque factum esset; impietatis et magicæ artis accusatus, equuleo torquetur. Mox ad secundum ab Urbe lapidem viâ Ostiensi ducitur, securi feriendus. Quem cùm rapi ad martyrium videret quidam Christianus, fortè inter viam oblatus, exclamavit: Ego quoque, eâdem quâ iste lege vivo; ego eumdem Jesum Christum colo. Itaque Felicem osculatus, cum eo securi percussus est. Christiani, quod ejus nomen ignorarent, Adauctum appellaverunt, quia sancto martyri Felici ad coronam adauctus esset.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

In Festo

S. LUPI EPISCOPI

SENONENSIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. (vj.) ⟨521⟩. *præter Orat.*

Oratio.

TRibue nobis, quæsumus, Domine, misericordiam tuam, intercedente beato Lupo Confessore tuo atque Pontifice; et quæcumque præcipis ut agamus, ipse adjuva ut implere possimus: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Ægidii Abbatis.

Antiph. Domine quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas:

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

SAncti Confessoris tui Ægidii supplicationibus tribue nos, Deus, adjuvari: ut quæ piè credidit, appetamus; et quod justè speravit, consequamur: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

⟨*Lectio.*⟩

LUpus in territorio Aurelianensi ad Ligerim natus est ex nobilissimis parentibus, Bettone, et Austregildi cui Aga cognomen; quibus, illustrem fore Pontificem, dum adhuc utero gestaretur, divinâ revelatione innotuit. Ab avunculis suis Austreno Aurelianensi et Aunachario Antissiodorensi† Episcopis adhuc puer propter deditos religioni mores in Clerum cooptatus, crescentibus cum ætate meritis Artemio in Cathedra Senonensi suffectus est, Clero et populo id apud Regem agentibus. Quo in munere admirandis cùm pietatis tùm solicitudinis pastoralis operibus eluxit. Nocte quâdam cùm pervigil in

oratione staret ad limen basilicæ sancti Aniani, fores ipsi divinitùs reseratæ sunt. Audiens se à quodam in aula Theodorici Burgundionum Regis calumniis proscindi, Nihil, inquit, aliorum dicta nocent ei quem propria non maculat conscientia. Mortuo Theodorico, missas à Clotario secundo contra Senones copias, suis ad Deum precibus repulit. Hic postea Burgundiæ regno potitus, Senonas ad tractanda negotia Farulfum misit. Qui cùm esset conquestus quòd sibi cum muneribus Lupus non venisset obviam ; respondit Lupus : Sacerdotis est plebem regere, et principes sæculi divina præcepta docere ; itaque par est illos ad eum potiùs accedere. Exardescens igitur Farulfus, tot apud Clotarium calumniis beatum Pontificem insectatus est, ut eum Rex in occidentales Neustriæ partes relegaverit ; ubi multos infideles sanctus Præsul ad fidem adduxit. Agnovit postea ejus innocentiam princeps, id agente beato Vinebaldo monasterii sancti Lupi Trecensis Abbate ; eumque ab exilio revocavit, et ad ejus pedes advolutus veniam deprecatus est. Ex aulâ cùm ad sedem rediret, ac Lutecîâ transiret cum Vinebaldo ; soluti divinâ virtute à vinculis et carceribus rei iis obviam processerunt. Diœcesim ingressus, Meloduni vim grassantis incendii repressit. Sacrificanti gemma in calicem cælitùs delapsa est ; quæ diu apud Senonas conservata, postea inter sanctorum pignora in regio palatio reposita est. In prædio Briennonensi, adversâ correptus valetudine, mortuus est ; et in sanctitatis argumentum odor suavissimus ex ejus corpore promanavit. Sepultus est, ut ipse jusserat, sub stillicidio basilicæ sanctæ Columbæ ad pedes beatæ Martyris, quam singulari cultu semper fuerat prosecutus.

Vesperæ de festo sequente.

Die II.

In Festo

S. Lazari, a Christo suscitati.

Duplex minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulcra vestra et eduxero vos de tumulis vestris.

Hymnus.

Redditum luci, Domino vocante,
Lazarum, turbæ, domitamque mortem
Laudibus festis modulisque sacri
Dicite cantûs.

Ille qui Christum meruit frequenti
Hospitem gaudens recreare mensâ,
Fœtidus clauso, data præda morti,
Conditur antro.

Heu tuâ præsens ope si jacenti,
Fata quæ præscis Deus, astitisses ;
Viveret, necdum premerentur atrâ
Lumina nocte.

Jamque mors, vitæ Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata prædam ;
Nunc et extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrimis honoras
Hospitis funus, fremituque prodis
Quàm pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Ut Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe ; credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Exaltas me de portis mortis ;
℟. Ut annuntiem omnes prædicationes tuas.

Ad Magnificat Antiph. Diligebat Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.

Oratio.

DEus resurrectio et vita, qui beatum Lazarum quatriduanum suscitasti à monumento, da, quæsumus, ejus intercessione ac meritis, ut ablato à nobis corde lapideo, à morte peccati resurgamus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Fit commemoratio S. Lupi.

Antiph. Dedit illi Dominus sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.

℣. Posui adjutorium super potentem.

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Oratio. Tribue. *ut in Festo præcedente.* 262. ⟨422⟩.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Christum, qui est resurrectio et vita, venite, adoremus.

Hymnus. Redditum. *ut ad primas Vesperas.*

Antiph. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tuâ, ô mors : morsus tuus ero, inferne.

℣. Domine abstraxisti ab inferis animam meam :

℟. Salvasti me à descendentibus in lacum.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Dixit Jesus : Ego sum resurrectio et vita ; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet ; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

Hymnus.

PAnditur saxo tumulus remoto,
Intimos clamor penetrat recessus,
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadaver.

Proh stupor ! notas repetit medullas
Spiritus ; cæcam pedibus revinctus
Dum viam carpsit, sibimet superstes
Prodit et heres.

Ipsa sic ruptis inimica vinclis
Morsfugit,vincipatiens: futuris
Summa præludit tua sic triumphis,
Christe, potestas.
Ut Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe ; credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Dominus mortificat et vivificat :

℟. Deducit ad inferos et reducit.

Ad Benedictus Antiph. Cogitaverunt Principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent ; quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.

Fit commemoratio S. Antonini Apamiensis Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

AD PRIMAM.

Antiph. Lazarus amicus noster dormit : eamus, et à somno excitemus eum.

Lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem. *Cap.* 11. ⟨*v.* 1–45.⟩

ERat quidam languens Lazarus ... crediderunt in eum.

AD TERTIAM.

Antiph. Venit Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

℣. Exaltas me de portis mortis ;

℟. Ut annuntiem omnes prædicationes tuas.

AD SEXTAM.

Antiph. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei : ait Jesus, Tollite lapidem.

℣. Domine abstraxisti ab inferis animam meam.

℟. Salvasti me à descendentibus in lacum.

AD NONAM.

Antiph. Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me : ego autem sciebam quia semper me audis ; sed propter populum qui circumstat, dixi ; ut credant quia tu me misisti.

℣. Eripuisti animam meam de morte ;

℟. Ut placeam coram Deo in lumine viventium.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Voce magna clamavit Jesus : Lazare, veni foras : Et statim prodiit qui fuerat mortuus.

Hymnus. Redditum. *ut ad primas Vesperas.*

℣. Dominus mortificat et vivificat ;

℟. Deducit ad inferos et reducit.

Ad Magnificat Antiph. Testimonium perhibebat turba quę erat cum Jesu quando Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum à mortuis : propterea et obviam venit ei turba ; quia audierunt eum fecisse hoc signum.

DIE IV.

In Festo

S. MARCELLI MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, (v.) ⟨522⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui nos beati Marcelli Martyris tui natalitia gloriosa celebrare concedis, tribue, quæsumus, ejus nos semper et beneficiis præveniri, et orationibus adjuvari : Per Dominum nostrum Jesus Christum Filium tuum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

MArcellus, in persecutione Antonini Veri unus ex quinquaginta Martyribus qui in ergastulis Lugduni sub arcta custodia detinebantur, patefacto divinitus carcere unà cum Valeriano aufugit. Cúmque Latinum quemdam à quo Cabilone hospitio susceptus fuerat, cum omni domo convertisset ad Christum ; Argentomagensis aggeris vicum petiit. Ibi fortè in Priscum Præsidem diis suis immolantem incurrens, ab eoque ad profanum convivium invitatus, non abnuit modò, sed etiam convivas acriter reprehendit. Quamobrem iratus vehementer Præses, inaudito supplicii genere vivum in terram ad renes usque defodi jussit sicque rectum stare. In hanc modum, secundo à Cabilone milliario, tertio die, in Dei laudibus perseverans, reddidit spiritum. Guntchramnus Rex super ejus tumulum basilicam cum Monasterio extruxit.

DIE VI.

In Festo

S. EVURTII EPISCOPI.

Simplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. (xj.) ⟨526⟩. *præter Orationem.*

Oratio.

SAnctus tuus Confessor et Pontifex Evurtius, quæsumus, Domine, jugiter nobis à te et veniam postulet et profectum : Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

EVurtius Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus cùm Româ in Gallias ad redimendos captivos venisset, Aurelianos ingressus est eo tempore quo, mortuo Desiniano Episcopo, de eligendo successore disceptabatur. Hunc in basilica sancti Stephani cum Episcopis et plebe orantem pro idonei et accepti omnibus Pontificis creatione, ter insidente capiti ejus columbâ tamquam cælitùs designatum, communibus suffragiis et votis omnes elegerunt. Qui statim suscepto Diaconatu, Presbyter et Episcopus consecratur. In episcopatu monitis et exemplis multos ad Christum adduxit : urbem ab incendio liberavit : Synodo Valentinæ sub Damaso Papa et Gratiano Augusto, interfuit. Obitûs sui præscius Anianum sibi successorem eligi curavit ; ne post

mortem suam rursum de substituendo Episcopo dissentio exoriretur : moxque febri correptus, è vivis excessit.

Die vii.

In Festo

S. Clodoaldi Confess.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. xiv. ⟨529⟩.

Oratio. Sancti Confessoris. xv. ⟨530⟩.

Ad Primam.

Lectio.

CLodoaldus Clodovei Magni regis Francorum ex Clodomere Aurelianensium Rege nepos, cæso à Burgundionibus patre, cum duobus fratribus Theodovaldo et Guntario pupillus sub aviæ Clotildis tutelâ relictus est. Sed patrui eorum, Childebertus Parisiorum et Clotarius Suessionum Rex, ut regnum pupillorum invaderent, ex his duos, alterum decennem, septennem alterum, vi et fraude occiderunt : quos Regina avia magno luctu prosecuta, in basilica sancti Petri Parisiis sepeliendos curavit. Tertius verò Clodoaldus cùm ad simile exitium quæreretur, ope virorum fortium, immo protegente Deo, servatus est. Itaque Clodoaldus fugâ elapsus, exheres factus in terris, hereditatem quæ de cælo est, toto animo concupivit : neque tam spretus à mundo, quàm mundum ipse spernens, sibi propriâ manu capillos in signum contempti regni incîdit ; et clericus factus, divino se cultui mancipavit. Tum vitam egit duram et asperam, humi substrato cilicio decumbens, sacrorum librorum lectioni crebrisque orationibus intentus ; et quod sibi reliquum erat facultatum pauperibus distribuit. Sub idem tempus Severinum adiit Monachum, qui Luteciæ cellâ inclusus divinæ contemplationi vacabat ; et ab eo Monachi habitum accepit. In extremam deinde Galliæ partem quæ Provincia dicitur, solitariæ vitæ liberiùs vacaturus discessit. Ubi dum orationis domum construeret, pauperi eleemosynam petenti, cùm aliud non haberet, cucullum tribuit : et nocte sequenti cubiculum in quo pauper exceptus fuit, visum est propter meritum dantis ingenti lumine coruscare. Luteciam reversus, et acclamante populo ab Eusebio Episcopo Presbyter consecratus, Monasterium condidit eo in loco qui dicebatur Novigentum ; quem morte, sepultura, miraculis ac nomine suo, illustrem fecit.

Vesperæ de Festo sequente.

IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS.

Solemne majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Hymnus. O quàm glorificâ. *ut in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.* xxvj. ⟨539⟩.

℣. Ave Maria gratiâ plena :

℟. Dominus tecum.

Ad Magnificat Antiph. Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, quæ et Genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

Oratio.

FAmulis tuis, quæsumus, Domine, cælestis gratiæ munus impertire : ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Nativitatem Virginis Mariæ celebremus ; Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Hymnus. O quàm glorificâ. *ut in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.* xxvj. ⟨539⟩.

Ad Psalmos Antiph. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

℣. Benedicta tu in mulieribus :

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. In te benedicentur universæ cognationes terræ.

Hymnus. Virgo Dei genitrix. *ut in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.* xxvj. ⟨540⟩.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus Antiph. Nativitatem hodiernam perpetuæ Virginis genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, ex quâ processit celsitudo throni David, alleluia.

Ad Primam.

Antiph. Nativitas est hodie sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Tertiam.

Antiph. Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ, ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda clarâ ex stirpe David.

℣. Ave Maria gratiâ plena :

℟. Dominus tecum.

Ad Sextam.

Antiph. Regali ex progenie Maria exorta refulget ; cujus

precibus nos adjuvari, mente et spiritu devotissimè poscimus.

℣. Benedicta tu in mulieribus :

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Nonam.

Antiph. Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ.

℣. Beata quæ credidisti.

℟. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus ; ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Hymnus. O quàm glorificâ. *ut in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.* xxvj. ⟨539⟩.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat Antiph. Nativitas tua, Dei Genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo : ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster ; qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

DOMINICA infra octavam, totum Officium fit de Dominica occurrente, cum commemoratione Nativitatis beatæ Mariæ ad Laudes.

Antiph. Nativitatem. *ut in Laudibus Festi.* 271. ⟨428⟩.

℣. Ora pro nobis. *ibidem.*

Oratio. Famulis. 270. ⟨428⟩.

Eodem modo fiet officium, si Dominica incidat in ipsam diem Octavam.

Die ix.

De Octava Nativit. Beatæ Mariæ.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo. 270. ⟨428⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Audomari Episcopi.

Antiph. Euge serve bone et fidelis ; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Posui adjutorium super potentem :

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Oratio.

DEus tuorum gloria Sacerdotum, præsta ut sancti Confessoris tui et Episcopi Audomari, cujus memoriam agimus, sentiamus auxilium : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

De S. Audomaro.

AUdomarus Aureavalle prope Constantiam ad Rhenum, Friulfo et Domittâ natus, defunctâ matre patri auctor fuit ut secum in Luxoviensi monasterio sub sancto Eustasio Monachus vestiretur. Cùm autem virtutis ejus fama latè spargeretur ; à Rege Dagoberto accitus, id agente Achario Noviomensi, summo populi consensu ad Teruannensem Episcopatum assumitur. Quo in munere ita per annos triginta se gessit, ut

gentem illam quæ magnâ ex parte ad idolorum cultum redierat, ad Christi fidem revocaverit. Tres viros eximiæ sanctitatis, Mummolenum, Ebertramnum, et Bertinum, in partem sollicitudinis assumpsit. Beatum Vandregisilum, Presbyterum ordinavit. Sanctas Austrebertam et Valdetrudem religionis velo induit. Senio demum confectus, ut patientia ejus probaretur, oculis captus est. Post aliquot annos febre correptus, cùm diem obitûs sui instare cognosceret, surgens è lectulo Ecclesiam ingressus est, ibique corpori ac sanguini Domini communicavit. Tum ad lectulum reversus, feliciter expiravit. Eum sanctus Bertinus Abbas sepelivit in Ecclesia Sithiensi, quam Audomarus ipse extruxerat, quæque nunc est Cathedralis, ejus nomine nuncupata.

DIE X.

DE OCTAVA.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo. 270. ⟨428⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Nicolai Tolentinatis, Confessoris.

Antiph. Domine, quinque talenta tradidisti mihi ; ecce alia quinque superlucratus sum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas :

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

CONcede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua quæ beati Nicolai Confessoris tui virtutum et miraculorum gloriâ coruscat, ejus meritis et intercessione, perpetuâ pace et unitate lætetur : Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

De S. Nicolao Tolentinate.

NIcolaus, Tolentinas ob diuturnam eâ in civitate commorationem appellatus, in oppido sancti Angeli in Piceno natus est piis parentibus ; qui liberorum desiderio Barium voti causâ profecti, ibique à sancto Nicolao de futura prole confirmati, quem susceperunt filium de illius nomine appellarunt. Is ab infantia multarum virtutum, sed abstinentiæ imprimis, specimen dedit. Nam anno vix septimo, beatum Nicolaum imitatus, complures hebdomadæ dies jejunare cœpit, eamque postea consuetudinem retinuit, solo pane et aquâ contentus. Adulta ætate, jam clericali militiæ ascriptus, et Canonicus factus, cùm quodam die concionatorem Ordinis Eremitarum sancti Augustini de mundi contemptu dicentem audisset ; eo sermone inflammatus, statim eumdem Ordinem est ingressus : in quo tam exactam religiosæ vitæ rationem instituit, ut aspero vestitu, verberibus, et ferreâ catenâ corpus domans, atque à carne et omni ferè opsonio abstinens, charitate, humilitate, patientiâ, ceterisque virtutibus, aliis præluceret. Orandi assiduum studium, quamvis satanæ insidiis variè vexatus et flagellis interdum cæsus, non inter-

mittebat. Demum sex ante obitum mensibus, cùm jam paradisi gaudia prægustaret, crebrò illud Apostoli repetebat : Cupio dissolui, et esse cum Christo. Obitûs sui diem fratribus prædixit. Miraculis multis etiam post mortem claruit : quibus cognitis, ab Eugenio Papa quarto in Sanctorum numerum est relatus.

Die xi.
De Octava.
Semiduplex.
Omnia ut in Festo. 270. ⟨428⟩.

Die xii.
De Octava.
Semiduplex.
Omnia ut in Festo. 270. ⟨428⟩.

Die xiii.
De Octava.
Semiduplex.
Omnia ut in Festo. 270. ⟨428⟩.

Die xiv.
In Festo
Exaltationis Sanctæ Crucis.
Duplex majus.
Omnia ut in Festo Inventionis sanctæ Crucis, (137.) ⟨313⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui nos hodiernâ die Exaltationis sanctæ Crucis annuâ solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut cujus mysterium in terra cognovimus, ejus redemptionis præmia in cælo mereamur : Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Laudes fit commemoratio Octavæ Nativitatis beatæ Mariæ.
Antiph. Nativitatem. *ut in Laudibus Festi.* 271. ⟨428⟩.
℣. Ora pro nobis. *ibidem.*
Oratio. Famulis. 270. ⟨428⟩.

Ad Primam.
Lectio.

CHosdroes Persarum Rex imperante Heraclio, Ægypto et Libya occupatis ac Jerosolymâ captâ, multisque ibi cæsis Christianorum millibus, Christi Domini Crucem, quam Helena in Calvariæ loco posuerat, in Persidem asportavit. Itaque Heraclius multis belli incommodis, et calamitatibus affectus, pacem petebat, quam à Chosdroa victoriis insolente, ne iniquis quidem conditionibus impetrare poterat. Quare in summo discrimine se assiduis jejuniis et orationibus exercens, opem à Deo vehementer implorabat : cujus monitu exercitu comparato, signa cum hoste contulit, ac tres duces Chosdroæ cum totidem exercitibus superavit. Quibus cladibus fractus Chosdroës, in fuga, quâ trajicere Tigrim parabat, Mardesan filium regni socium designat. Sed eam contumeliam cùm Siroës Chosdroæ major natu filius ægrè ferret, patre simul et fratre interemptis, regno Persarum potitus est ; et pacem cum Heraclio certis conditionibus fecit, quarum ea prima fuit, ut Crucem restitueret. Igitur Crux sancta, quatuordecim pòst annis quàm venerat in potestatem Persarum, recepta est : quam rediens Jerosolymam Heraclius,

solemni celebritate suis humeris eò retulit quò eam Saluator tulerat. Quod factum illustri miraculo commendatum est. Nam Heraclius, ut erat auro et gemmis ornatus, subsistere coactus est in porta quæ ad Calvariæ locum ducebat; neque ultra progredi ullo conatu potuit. Quâ ex re cùm et ipse Heraclius, et reliqui omnes obstupescerent; Zacharias Jerosolymorum Antistes, Vide, inquit, Imperator, ne ornatu isto in Cruce ferendâ parum Jesu Christi paupertatem et humilitatem imitere. Tum Heraclius triumphali veste abjectâ detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit; et Crucem in eodem loco reposuit, unde fuerat à Persis asportata. Itaque Exaltationis sanctæ Crucis solemnitas, quæ hac die quotannis celebratur, illustrior haberi cœpit ob ejus rei memoriam; quòd ibidem reposita fuerit ab Heraclio, ubi Salvatori primùm fuerat constituta.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio diei Octavæ Nativitatis beatæ Mariæ.

Antiph. Gloriosæ. *ut in primis Vesperis Festi.* 270. ⟨428⟩.

℣. Ave Maria. *ibidem.*

Oratio. Famulis. *ibidem.*

QUATVOR TEMPORA celebrantur quartâ et sextâ Feriâ ac Sabbato post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

FERIA QUARTA

Quatuor Temporum.

AD LAUDES.

Ad Benedictus Antiph. Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

Deinde dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

MIsericordiæ tuæ remediis quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat; ut quæ suâ conditione atteritur, tuâ clementiâ reparetur: Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Hæc Oratio dicitur etiam ad Tertiam, Sextam, et Nonam: ad Vesperas autem dicitur Oratio Dominicæ præcedentis.

AD PRIMAM.

Lectio de Homilia.

Lectio sancti Evangelii secundùm Marcum. *Cap.* 9.

IN illo tempore: Respondens Jesu unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 58 *in Matth.*

NOn mihi ea quæ rara sunt, dicas, quòd scilicet absque jejunio ejecti dæmones aliquando fuerint. Si enim unus aut alter sic expulit; impossibile tamen est, si quis id patitur et in deliciis vivit, ab hoc furore liberari: hujusmodi enim morbo laborantibus, jejunio maximè opus est. Sed si fide opus est, inquies, cur jejunare oportet? Quia unà cum fide non parvas vires affert jejunium: cùmque

majoris philosophiæ singulare opus sit; Angelum ex homine facilè reddit, et dæmonibus mirum in modum reluctatur; quamvis non jejunio solùm, sed oratione quoque ac multò magis oratione opus sit. Expende igitur, quæso, quot quantaque bona ex utrisque junctis emanent. Qui orat et jejunat ut oportet, is multis rebus non indiget; qui verò multis non indiget, nunquam fit avarus et qui non est avarus, pronior semper ad misericordiam erit. Qui jejunat, levior est, et vigilanter orat, et cupiditatis incendia extinguens ac animam suam humilians, facilè Deum placat: idcirco et Apostoli ferè semper jejunabant. Qui orans jejunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando prætervehitur: non enim oscitat nec extenditur nec torpet orando, quæ multi patiuntur; sed igne ardentior et terrâ superior est: quare terribilis hostis demonibus redditur. Nihil enim est homine probè orante potentius. Nam si mulier crudelem judicem, qui nec Deum timebat nec hominem reverebatur, flectere potuit; multò magis propitium Deum faciet qui continuæ orationi adhærens ventrem superat et delicias spernit. Si verò imbecillis corpore, jejunare semper non potes; non eris tamen ad orandum infirmus, neque ad contemnendas ventris delicias invalidus. Jejunare quidem non potes: sed non vivere in deliciis potes; quod sanè parvum non est, nec magno intervallo à jejunio distat. Sed sufficit etiam hoc diaboli furorem deprimere, cui nemo magis amicus est, quàm qui deliciis et ebrietate maculatur. Hic enim fons, hæc mater atque origo vitiorum omnium est.

Feria Sexta
Quatuor Temporum.
Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Jesus accubuisset in domo Simonis Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retrò lacrymis cœpit rigare pedes ejus.

Deinde dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

ADesto, quæsumus, omnipotens Deus, et in jejunio corporali mentem nostram operibus tuorum refice mandatorum: Per Dominum nostrum etc.

Hæc Oratio dicitur etiam ad Tertiam, Sextam et Nonam: ad Vesperas autem dicitur Oratio Dominicæ præcedentis.

Ad Primam.
Lectio de Homilia.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 7.

IN illo tempore: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo: et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.
Homil. 33. *in Evang.*

QUem Pharisæus de falsa justitia præsumens, nisi Judaicum populum; quem

peccatrix mulier, sed ad vestigia Domini veniens et plorans, nisi conversam Gentilitatem designat? Quæ cum alabastro venit, unguentum fudit, retrò secùs pedes Domini stetit, lacrymis pedes rigavit, capillis tersit, eosdemque quos infundebat et tergebat pedes osculari non desiit. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si ejus pœnitentiæ luctus imitemur. Quid namque unguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitur? Unde et Paulus dicit: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Si igitur recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore Ecclesiam respergamus; quid in Domini corpore nisi unguentum fundimus? Sed secùs pedes Jesu mulier stetit. Contra pedes enim Domini stetimus, cùm in peccatis positi ejus itineribus renitebamur: sed si ad veram pœnitentiam post peccata convertimur, jam retrò secùs pedes astamus; quia ejus vestigia sequimur, quem impugnabamus. Lacrymis mulier pedes ejus rigat. Quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur; si sanctis ejus in tribulatione compatimur; si eorum tristitiam, nostram putamus. Capillis mulier pedes, quos rigaverat tersit. Capilli quippe superfluunt corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? quæ dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentitur. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex iis quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenùs sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcumque proximorum dolori compatitur, sed tamen eis, ex iis quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat, et non tergit, qui verba quidem doloris tribuit; sed, non ministrando quæ desunt, vim doloris minimè abscindit. Osculatur mulier pedes, quos tergit. Quod nos quoque plenè agimus, si studiosè diligimus, quos ex largitate continemus: ne gravis nobis sit necessitas proximi; ne ipsa nobis ejus indigentia, quæ sustentatur, fiat onerosa; et cum manus necessaria tribuit, animus à dilectione torpescat.

SABBATO

Quattuor Temporum.

AD LAUDES.

Ad Benedictus Antiph. Dirige pedes nostris in viam pacis, Deus Israël.

Deinde dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus qui per continentiam salutarem corporibus mederis et mentibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut piâ jejunantium deprecatione placatus et præsentia nobis subsidia tribuas et futura: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio de Homilia.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap.* 13.

IN illo tempore, Dicebat Jesus hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua; et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 31. *in Evang.*

DOminus et Redemptor noster per Evangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur; aliquando aliud verbis, atque aliud rebus; aliquando autem hoc verbis, quod rebus. Duas etenim res ex Evangelio, fratres, audistis; ficulneam infructuosam, et mulierem curvam: et utrique rei est pietas impensa. Illud autem dixit per similitudinem; istud egit per exhibitionem. Sed hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata; et hoc ficulnea reservata, quod mulier erecta.

Quid arbor fici, nisi humanam naturam designat? Quid mulier inclinata, nisi eamdem naturam significando denuntiat? Quæ et bene plantata est sicut ficus, et bene creata sicut mulier: sed in culpam propriâ sponte lapsa, neque fructum servat operationis, neque statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quòd plantata vel creata fuerat, contempsit. Tertiò Dominus vineæ ad ficulneam venit: quia naturam generis humani, ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando, requisivit.

Venit ante legem; quia per naturalem intellectum, quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege; quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam; quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur: quia quorumdam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis ejus miracula convertunt. Quid verò per cultorem vineæ, nisi præpositorum ordo exprimitur? qui dum præsunt Ecclesiæ nimirum dominicæ vineæ curam gerunt.

Die xv.

In Octava Nativit. Beatæ Mariæ.

Duplex minus.

Omnia ut in Festo. 270. ⟨428⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Nicomedis Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

ADesto Domine populo tuo; ut beati Nicomedis Martyris tui merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvetur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

De S. Nicomede.

NIcomedes Presbyter, persequente Christianos Domitiano Imperatore, quòd corpus Feliculæ virginis propter confessionem Christianæ fidei à Comite Flacco interfectæ sepellisset, Romæ comprehensus, ductusque ad statuas deorum, cùm iis renueret sacrificare, plumbatis cæsus, eo in martyrio animam Deo reddidit. Cujus corpus cùm idem Comes in Tiberim projici imperasset; Justus Nicomedis Clericus diligenter conquisitum, ad muros Urbis viâ Nomentanâ honorificè sepelivit.

Ad Vesperas fit commemoratio SS. Cornelii et Cypriani Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi:

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio. Beatorum Martyrum. *ut in Festo sequente.*

Die xvi.

In Festo

SS. Cornelii et Cypriani Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum (ix) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

BEatorum Martyrum pariterque Pontificum Cornelii et Cypriani nos, quæsumus, Domine festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Euphemiæ, Luciæ, et Geminiani, Martyrum.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

PRæsta Domine precibus nostris cum exultatione proventum; ut sanctorum Martyrum Euphemiæ, Luciæ, et Geminiani, quorum diem passionis annuâ devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

COrnelius Romanus, Gallo et Volusiano Imperatoribus Pontificatum gerens, cum Lucinâ feminâ sanctissimâ corpora Apostolorum Petri et Pauli è

Catacumbis in opportuniorem locum transtulit: ac Pauli corpus Lucina in suo prædio viâ Ostiensi, prope eum locum, ubi fuerat gladio percussus, collocavit; Cornelius Principis Apostolorum corpus non longè inde ubi crucifixus fuerat, reposuit. Quod cùm ad Imperatores delatum esset, et Pontifice auctore multos fieri Christianos; mittitur is in exilium ad Centumcellas, ubi eum sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginensis per literas est solatus. Hoc autem Christianæ charitatis officium cùm frequens alter alteri persolveret; deteriorem in partem id accipientes Imperatores, accersitum Romam Cornelium, tamquam de majestate reum, plumbatis cædi, raptumque ad Martis simulacrum ei sacrificare jubent. Quam impietatem cùm ille detestaretur, ei caput abscissum est decimo octavo Kalendas Octobris: cujus corpus beata Lucina Clericis adjutoribus humavit in arenaria prædii sui prope cœmeterium Callisti. Vixit in Pontificatu annos circiter duos. Hujus reliquiæ translatæ sunt in Galliam à Carolo Calvo Francorum Rege, et apud Compendium in tituli ejusdem Martyris basilicâ conditæ cum sacris exuviis sancti Cypriani sub Carolo Magno Lugdunum advectis ex Africa.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Cap.* 77.

Cyprianus Afer, primùm gloriosè rhetoricam docuit: exinde suadente Presbytero Cæcilio, à quo et cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogavit. Ac post non multùm temporis electus etiam in Presbyterum, Episcopus Carthaginensis constitutus est. Hujùs ingenii superfluum est indicem texere, cùm sole clariora sint ejus opera. Passus est sub Valeriano et Gallieno Principibus, persecutione octava, eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.

Ad Vesperas fit commemoratio S. Lamberti Episcopi et Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *ut in Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ. *ibidem.*

Oratio. Infirmitatem. *ibidem.*

Die xvii.

In Festo

S. Lamberti Episcopi et Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris. vj. ⟨522⟩.

Oratio. Infirmitatem. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

LAmbertus, Trajecto ad Mosam oriundus, Theodardo Trajectensi Episcopo et Martyri suffectus, justitiæ et libertatis publicæ vindicem se præbuit acerrimum, eamque ob causam ab Ebroino Palatii Majore sub Rege Theodorico Episcopatu pulsus est. Cedendum tempori ratus, in Monasterium Stabulense secessit: ex quo post

septennium à Pippino Caroli Martelli patre revocatus, ac sedi suæ restitutus, Toxandriæ incolis Evangelii lucem intulit. Cùm autem, ut refert sanctus Ado, regiam domum zelo religionis increpasset; Dodo Pippini domesticus redeuntem è matutinis Laudibus aggressus est; eumque in cubiculo orantem unus è Dodonis satellitibus telo confodit. Corpus ejus Trajecti sepultum, inde Leodium unà cum episcopali sede translatum fuit.

DIE XX.

In Vigilia

SANCTI MATTHÆI.

Simplex.

Officium fit de Feria, cum Oratione sequente.

Oratio.

ACceptum tibi sit quæsumus, Domine, jejunium nostrum; et ad sancti Apostoli tui et Evangelistæ puriores faciat nos venire festivitatem: Per Dominum nostrum etc.

DIE XXI.

In Festo

S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apostolorum, (j.) ⟨518⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

BEati Apostoli et Evangelistæ Matthæi, Domine, precibus adjuvemur; et quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Cap.* 5.

MAtthæus, qui et Levi, ex Publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis literis verbisque composuit: quod quis postea in Græcum transtulerit non satis certum est. Porrò ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissimè confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quòd ubicumque Evangelista, sive ex persona sua, sive ex persona Domini Salvatoris, veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur Septuaginta auctoritatem, sed Hebraicam; è quibus illa duo sunt; Ex Ægypto vocavi Filium meum; et, Quoniam Nazaræus vocabitur.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio SS. Mauricii et sociorum Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi;

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio. Annue. *ut in Festo sequente.*

DIE XXII.

In Festo

SS. MAURICII ET SOCIORUM MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (ix) ⟨524⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

ANnue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum Martyrum tuorum Mauricii et sociorum ejus nos lætificet festiva solemnitas; ut quorum suffragiis nitimur, eorum natalitiis gloriemur: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

Ex libro sancti Eucherii Lugdunensis de passione Martyrum Agaunensium.

MAximinus execrandis Gentilium ritibus intentus, et erga Deum cæli profanus, impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat. Erat eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui, et virtute nobiles, sed nobiliores fide. Itaque cùm hi, sicut et ceteri militum, ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detractare ausi sunt. Maximianus non longè aberat: nam se circa Octodurum itinere fessus tenebat; ubi cùm ei per nuntios delatum esset legionem hanc adversùs mandata regia rebellem in Acaunensibus angustiis substitisse, in furorem instinctu indignationis exarsit. Cognito Maximianus Thebæorum responso, ob neglecta imperia decimum quemque ex eadem legione gladio feriri jubet, quò faciliùs ceteri regiis præceptis territi metu cederent; redintegratisque mandatis edicit ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Ubi verò ad Thebæos denuntiatio iterata pervénit; vociferatio passim in castris exoritur affirmantium numquam se ulli in hæc tam sacrilegia ministeria cessuros, Christianis se imbutos Sacris unum sanctæ Ternitatis† Deum colere, extrema experiri satiùs esse quàm adversùm Christianam fidem venire. His deinde compertis, Maximianus imperat ut iterum decimus eorum morti detur, ceteri nihilominus ad hæc quæ spernerent, compellerentur. Quibus jussis denuò in castra perlatis, segregatus atque percussus est qui decimus forte obvenerat: reliqua verò se militum multitudo mutuo sermone instigabat ut in tam præclaro opere perstiterent. Incitamentum maximum fidei penes sanctum Mauricium fuit, Primice-

rium tunc legionis ejus; qui cum Exuperio Campiductore, et Candido Senatore militum, accendebat exhortando singulos et monendo ad fidem, commilitonum etiam Martyrum exempla, qui jam in cælum præcesserant, ingerens. His itaque primoribus suis atque auctoribus animati, Maximiano mandata mittunt, sicut pia, ita et fortia, in hunc modum: Milites sumus, Imperator, tui, sed tamen servi Dei; tibi militiam debemus, illi innocentiam; sequi Imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus, Deum auctorem nostrum, Deum auctorem velis, nolis, tuum. Cùm hæc talia Maximianus audisset, unâ sententiâ interfici omnes decrevit. Cædebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltem aut repugnantes, sed depositis armis cervices persecutoribus præbentes. Sic interfecta est illa planè angelica legio, quæ cum Angelorum legionibus collaudat semper in cælis Dominum Deum Sabaoth. Victor autem Martyr, emeritæ militiæ veteranus, cùm incidisset in hos qui epulabantur læti Martyrum spoliis, ad convescendum invitatus, detestatus convivas et convivium, requirentibus num et ipse Christianus esset, Christianum se esse respondit, ac statim ab irruentibus interfectus est, ceterisque Martyribus in eodem loco sicut morte, ita honore conjunctus.

Ad Vesperas, ab Hymno fit de Festo sequente.

DIE XXIII.

In Festo

S. THECLÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum (xvij) ⟨532⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Theclæ Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, et annuâ solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo: Per Dominum nostrum etc.

Ad primas Vesperas fit commemoratio SS. Mauricii et sociorum.

Antiph. Gaudent in cælis animæ Sanctorum qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideò cum Christo exultant sine fine.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio. Annue. *ut in Festo præcedente.*

Ad Laudes fit commemoratio S. Praxentii Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi, de Virginibus.

Lib. 2. post init.

THecla copulam fugiens nuptialem, et sponsi furore damnata, naturam etiam bes-

tiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cùm aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni; fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantem sono quòd sacrum Virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia; et propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines amiserant. Videres, quâdam naturæ transfusione, homines feritatem indutos sævitiam imperare bestiæ, bestiam exosculantem pedes Virginis docere quid homines facere deberent. Tantùm habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non, impastos, cibus flexit; non, citatos, impetus rapuit; non, stimulatos, ira exasperavit; non usus decepit assuetos; non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant Martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum Virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis tamquam verecundantibus ne mas aliquis vel bestia Virginem nudam vi-

Ad secundas Vesperas fit commemoratio SS. Andochii et sociorum Martyrum.

Antiph. Istorum. *ut in Communi plurium Martyrum.* ix. ⟨524⟩.

℣. Lætamini. *ibidem.*

Oratio. Protegat. *ut in Festo seq.*

DIE XXIV.

In Festo

SS. ANDOCHII, THYRSI, ET FELICIS, MARTYRUM.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (ix.) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

PRotegat Ecclesiam tuam Deus sanctorum Martyrum tuorum Andochii, Thyrsi, et Felicis veneranda oratio; et quorum natalem celebramus, præsta perpeti auxilio sublevari: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

ANdochius Presbyter, Thyrsus Diaconus, et Felix, à sancto Polycarpo missi ex Asia, ut Galliæ populis Evangelium prædicarent, Massiliam primùm appulerunt: inde regiones quas Rhodanus alluit, ingressi, Lugduni aliquandiu consedére. Tum ad Sequanos et Æduos profecti, Augustoduni comprehenduntur: ac primùm flagellis cæsi, tum per solidum diem inversis manibus suspensi, in ignem conjiciuntur; ex quo illæsi cùm exïissent, vectibus tandem capita contusi, gloriosum agonem impleverunt. Quorum corpora Sidoloci magnâ veneratione coluntur.

DIE XXV.

In Festo

S. FIRMINI EPISCOPI ET MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris. v. ⟨522⟩.

Oratio. Infirmitatem. vj. ⟨522⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

FIrminus Pompelonensis à sancto Saturnino Episcopo Tolosano baptizatus, et à beato Honorato Saturnini successore Episcopus ordinatus, primùm Aginensibus, deinde Arvernis, tum Andibus, ac demùm Bellovacis Evangelium prædicavit. Inde Ambianos venit ; ubi post varia tormenta, capite truncatus est in persecutione Diocletiani, Rictiovaro Præside. Elapsis tribus sæculis sanctus Salvius, ejusdem civitatis Episcopus, revelato sibi divinitùs Martyris sepulcro, eductum inde corpus, in urbem cum hymnis et canticis solemnique concursu populi vestimenta sua substernentis, transtulit, atque in crypta basilicæ quam ipse sub invocatione Petri et Pauli construxerat, honorificè condidit : sepulcrumque auro et gemmis ornavit.

DIE XXVII.

In Festo

SS. COSMÆ ET DAMIANI MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (ix.) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

MAgnificet te, Domine, sanctorum tuorum Cosmæ et Damiani veneranda solemnitas ; quâ et illis gloriam sempiternam, et opem nobis ineffabili providentiâ contulisti : Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Cerauni Episcopi Parisiensis.

Antiph. Euge. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨528⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Da, quæsumus. xj. ⟨527⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

COsmas et Damianus, fratres Arabes, nobiles Medici, Diocletiano et Maximiano imperantibus, non magis medicinæ scientiâ quàm Christi virtute morbis etiam insanabilibus medebantur. Qui cùm Ægeam venissent ; Lysias Præfectus ubi eos Christianos esse cognovit, acerbissimos iis cruciatus interminatus est, nisi Christum negarent. Quod ut se frustrà illis proponere intellexisset, vinctos projici jussit in profundum mare : unde cùm salvi ac soluti exiissent, Præfectus id magicis artibus tribuens, eos misit in carcerem, ac postridie eductos in ardentem rogum injecit : ubi cùm ab ipsis flamma refugeret ; variè et crudeliter torti, securi percussi sunt. Passi sunt cum iis tres eorum fratres, Anthimus, Leontius, et Euprepius. Quanta autem fuerit Orientalium erga sanctos Cosmam et Damianum veneratio, testantur tum erectæ multis in

locis basilicæ, ac illa imprimis quam in memoriam recuperatæ eorum beneficio valetudinis Constantinopoli Justinianus Imperator ædificavit; tum et relata in septima Synodo miracula; in ea quippe traditur, coli solere depictas in basilicis et privatis in ædibus horum Martyrum imagines, eorumque ope salutem ægris etiam desperatis plerumque fuisse restitutam. Romæ autem eorum cultum non minùs celebrem auxit Felix Papa, sancti Gregorii atavus, dicatâ Deo sub illorum nomine in foro Romano Ecclesiâ. Horum reliquias Joannes de Bellomonte Eques dum ab expeditione sacrâ tempore Alexandri Papæ tertii reverteretur, asportavit in Galliam, atque in basilicâ quam in eorum honorem contruxit apud Lusarcam, sub custodia Canonicorum deposuit, demptâ portione quâ Ecclesiam Parisiensem donavit.

Ceraunus, post Simplicium ad regimen Ecclesiæ Parisiensis assumptus, virtutum omnium splendore claruit. Scripturæ sanctæ lectioni et meditationi incumbens, ex eo fonte doctrinam hausit quâ plebem sibi creditam institueret. Sanctorum Martyrum studio et amore incensus, eorum acta hinc et inde dispersa anxiè conquisivit et in unum corpus redegit. In id maximè intentus, scriptis ad Varicharium Lingonensem Clericum literis, ab eo tergeminorum Speusippi, Eleusippi, et Melasippi qui in suburbio Lingonicæ civitatis passi fuerant, necnon Desiderii ejusdem loci Episcopi, acta passionum accepit. Denique cùm vitam sancto Præsule dignam egisset, sedem suam Leodeberto reliquit, mercedem à Domino cum iis consecuturus quorum gloriæ tantopere studuerat. Sepultus est in crypta basilicæ sanctorum Petri et Pauli prope tumulum beatæ Genovefæ.

DIE XXIX.

In Festo

SANCTI MICHAELIS ET OMNIUM ANGELORUM.

Duplex majus.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Factum est prælium magnum in cælo. Michaël et Angeli ejus præliabantur cum dracone: et draco pugnabat et angeli ejus; et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum ampliùs in cælo.

Hymnus.

TE splendor et virtus Patris,
Te vita, Jesu, cordium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudamus inter Angelos.

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat victor Crucem
Michaël salutis signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Cælesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiæ
Sequamur hunc nos principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriæ.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi,
℟. Habens thuribulum aureum in manu suâ.

Ad Magnificat Antiph. Data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei.

Oratio.

DEus qui miro ordine, Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius ut à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terrâ vita nostra muniatur: Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Angelorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Te splendor. *ut ad primas Vesperas.*

Antiph. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: Seraphim stabant super illud; et clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloriâ ejus.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini,
℟. De manu Angeli.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.

Hymnus.

CHriste sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ sator et redemptor
Cælitum nobis tribuas benignus
Scandere sedes.

Qui Dei celso solio sedentis
Jura defendit metuendus ultor
Impios nobis Michaël in hostes
Arma ministret.

Læta qui mundo melioris ævi
Nuntius felix, Gabriel, tulisti;
Nuntii fausti capiamus omnes,
Te duce, fructus.

Angelus nostræ medicus salutis
Adsit è cælo Raphaël; ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.

Præstet hæc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque sancti
Spiritûs, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

℣. Adorate Deum,
℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Benedictus Antiph. In voce Archangeli et in tuba Dei Dominus descendet de celo, et mortui resurgent.

AD PRIMAM.

Antiph. Dum præliaretur Michaël Archangelus cum dracone, audita est vox in cælo dicens: Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, alleluia.

Lectio.

Sermo Sancti Gregorii Papæ.

Homil. 34. *in Evang.*

NOvem Angelorum ordines esse, testante sacro eloquio scimus; Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Namque Angelos et Archangelos pæne omnes sacri eloquii paginæ testantur: Cherubim verò atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat dicens: Supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem. Qui rursus ad Collossenses scribens, ait: Sive Throni; sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Dum ergo illis quattuor quæ ad Ephesios dixit, conjunguntur Throni; quinque sunt ordines: quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adjuncti sunt; proculdubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur. Sciendum quoque, quòd Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos aliqua nuntiantur. Unde et in psalmo dicitur, Qui facit Angelos suos spiritus: Ac si patenter dicat; Qui eos, quos semper habet, spiritus, etiam cùm voluerit, Angelos facit. Hi autem qui minima nuntiant, Angeli; qui verò summa, Archangeli vocantur. Hinc est enim quòd ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministerium, summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. Qui idcirco etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Michael namque, Quis ut Deus; Gabriel autem, Fortitudo Dei; Raphaël verò dicitur Medicina Dei. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michaël mitti perhibetur; ut ex ipso actu et nomine detur intelligi quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupivit, dicens, In cælum conscendam, supra astra cæli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo; dum in fine mundi in suâ virtute relinquetur extremo supplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur; sicut per Joannem dicitur, Factum est prælium cum Michaële Archangelo. Ad Mariam quoque Gabriël mittitur, qui Dei fortitudo nominatur: illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis apparere dignatus est. Raphaël quoque interpretatur, ut diximus, Medicina Dei: quia dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis illius tenebras tersit

AD TERTIAM.

Antiph. Archangele Michaël constitui te principem super omnes animas suscipiendas.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi;

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

AD SEXTAM.

Antiph. Revelabitur Dominus Jesus de cælo cum Angelis virtutis ejus.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini,

℟. De manu Angeli.

AD NONAM.

Antiph. Angeli Domini Dominum benedicite in æternum.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Angeli, Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes cælorum, laudate Dominum de cælis.

Hymnus. Te splendor. *ut ad primas Vesperas.*

℣. Adorate Deum,

℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Magnificat Antiph. Michaël Archangele, veni in adjutorium populo Dei.

Fit commenoratio S. Hieronymi Presbyt. et Ecclesiæ Doct.

Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

℣. Justus germinabit sicut lilium:

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Oratio. Deus qui Ecclesiæ. *ut in Festo sequente.*

DIE XXX.

In Festo

S. HIERONYMI PRESBYT. ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, (xiv.) ⟨529⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

AD LAUDES.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Oratio.

DEus qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis beatum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es, præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante exercere valeamus: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

HIeronymus Eusebii filius, Stridone in finibus Dalmatiæ et Pannoniæ natus, puer à Donato liberalibus disciplinis Romæ est institutus, ubi diebus dominicis sepulcra Apostolorum et Martyrum circuire crebróque cryptas ingredi cum æqualibus consueverat. Suscepto ibi in

adolescentia baptismo, ad sacras literas animum adjiciens, Gallias studiorum causâ peragravit, Trevirisque librum sancti Hilarii de Synodis suâ manu descripsit. Perlustratis deinde Thraciâ, Ponto, Bithyniâ, Galatiâ, Cappadociâ, et Ciliciâ, in Chalcidis Syriæ solitudinem se recepit instructus bibiliothecâ quam Romæ sibi magno studio confecerat. Ibi, quò faciliùs importunas, quibus, vexabatur, abigeret cogitationes, Judæo ad Christum converso se in disciplinam dedit, ut linguam Hebraicam addisceret. Ab Arianis aliquando interrogatus, unam an tres confiteretur hypostases; incertus etiam ad quam se partem adjungeret, exorto Antiochiæ inter Paulinum, Vitalem, et Meletium schismate; Damasum Pontificem Romanum consuluit quid credere, et cui ex tribus Episcopis communicare deberet. Exacto in eo secessu quadriennio, vexatus ab invidis, et hæreseos postulatus, ex eremo discedens, Antiochiam venit; ubi à Paulino cui adhæserat, eâ conditione ordinari se Presbyterum passus est, ut quam amplexus fuerat Monachi vitam non desereret. Cùm deinde Jerosolymis et Bethleem aliquandiu mansisset, Constantinopolim se contulit, ibique Gregorium Nazianzenum sacras literas explanantem frequens audivit. Romam deinde ob Antiochiæ aliarumque Ecclesiarum dissensiones cum Paulino et Epiphanio profectum Damasus retinuit, ut eo uteretur in conscribendis Epistolis ac reddendis ad synodicas Orientis et Occidentis consultationes responsis. Romæ per triennium commoratus, post obitum Damasi Bethleem ad incunabula Redemptoris in extructo à Paula Monasterio majorem vitæ partem exegit. Sacros codices commentariis illustravit: et quò certiùs genuinum illorum sensum assequeretur, singula Palestinæ loca sedulò invisit, adhibitis Judæorum eruditissimis. Alexandriam senio jam gravis petiit, de difficilioribus scripturæ locis Didymum consulturus. Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit; vetus, juxta Hebraicam transtulit: Psalterium quo deinceps Ecclesia Latina usa est, secundùm Septuaginta editionem correxit. Multa doctorum virorum scripta latinè reddidit. Luciferianos, Helvidium, Vigilantium, Jovinianum, Pelagium, scriptis perstrinxit. Hujus Augustinus ex Africa, et alii passim ex universo terrarum orbe de difficilioribus quæstionibus sententiam rogabant. Captâ eversâque à Gothis Româ, nobiles Romanos, qui ad summam inopiam redacti fuerant in Monasterio Bethleemitano benignè excepit. In extrema senectute febre correptus, migravit ad Dominum, Honorio imperante. Ejus corpus apud Bethleem sepultum; postea Romam translatum, in Basilica sanctæ Mariæ Majoris ad Præsepe conditum est.

Ad Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ

lumen, beate Hieronyme, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Fit commemoratio S. Remigii Episcopi.

Antiph. Elegit. *ut in Communi Confessoris Pontificis.* xj. ⟨527⟩.

℣. Amavit. *ibidem.*

Oratio. Deus qui populo. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

FESTA OCTOBRIS.

Die 1.

In Festo

S. Remigii Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xij. ⟨526⟩.

Oratio. Deus qui populo. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Piati Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Lætetur. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

REmigius qui et Remedius, Lauduni natus est parentibus Æmilio et sanctâ Celiniâ jam ætate provectis. Ejus ortum prædixerat solitarius quidam cæcus, Montanus nomine; qui et visum postea recepit, admoto ad oculos lacte quo infans Remigius alebatur. Annos natus duos et viginti, ob seniles in adolescentia mores ad Episcopatum Remensem præter voluntatem raptus est; tumque reluctantis caput radii cælestis illapsu refulgens, et unguento mirabiliter delibutum apparuit. Cum autem Clodovéus Alamannos Tolbiaci invocato Christi nomine debellasset, et instanti Remigio ut fidem profiteretur, respondisset vereri se ut per populum sibi liceret; ubi id rescivit populus, statim acclamavit, Mortales deos abigimus, pie Rex, et Deum, quem Remigius prædicat immortalem, sequi parati sumus. Tum Remigius Clodovéum quem fidei documentis imbuerat, baptizavit ipso die Natalis Domini; his eum verbis allocutus: Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti. Baptizatum sacro inunxit Chrismate cum signaculo Crucis Christi. De exercitu autem ejus ter mille et ampliùs baptismo initiati sunt; simul et Albofledis soror Clodovéi, quæ cum in albis decessisset, Remigius per literas Regem est consolatus. Lanthildis quoque, altera ejus soror, ab Ariana hæresi revocata, sacro chrismate reconciliata est Ecclesiæ. Cùm autem Clodovéus ad bellum Gothicum se accingeret; epistolam hortatoriam ad eum scripsit Remigius plenam utilissimis regno administrando consiliis. Regi etiam autor fuit ut Concilium Aurelianense indiceret. In alia synodo Arianum Episcopum divinâ virtute mutum reddidit; eique per

nutus veniam poscenti, vocem his verbis restituit: In nomine Domini nostri Jesu Christi, si sic de eo rectè sentis, loquere; et de illo, sicut Catholica credit Ecclesia, confitere. Recepto ille vocis usu, credere se et in eadem fide moriturum pollicitus est. Clementiâ in pœnitentes erat singulari; Neque enim, inquiebat, nos posuit Dominus ad iracundiam, sed ad hominum curam. Ab omni cupiditate alienus, plerosque ægrorum reditus villanis remittebat. Novos Episcopatus instituit, Teruannæ, ubi sanctum Antimundum; Atrebatis, ubi sanctum Vedastum; Lauduni, ubi sanctum Genebaldum præfecit. Sub finem vitæ oculorum usu orbatus est; quem tamen paulò ante mortem recuperavit. Senio tandem confectus obiit quinto Idus Januarii. Inter alia quæ edidit miracula, mortuum suscitavit, ut refert liber de ejus vita conscriptus et à Gregorio Turonensi laudatus. Corpus ejus in ædicula sancti Christophori sepultum, varias deinde in urbes delatum eo quòd civitas Remensis murorum præsidio est destituta, ad eum locum in quo primùm conditum fuerat, relatum est. Denique in magnificentiori basilicâ à Leone Papa nono dicatâ collocatum est Kalendis Octobris.

Piatus Beneventi claro genere ortus, totum se à pueritia Christo devovit: et cùm adolevisset, reservatâ sibi unicâ veste, ceteris in egenorum usum distributis, Romam contendit. Ibi Presbyter factus, à Romano Pontifice cum Dionysio et sociis ejus ad prædicandum Evangelium missus, Tornáci primùm, ac deinde in locis finitimis, ministerium suum obiit. Triginta et ampliùs hominum millia baptizavit: eamque ob causam Præsidis jussu comprehensus, post carcerem, compedes, verbera, clavos, ceteraque tormenta superata, cæso capite martyrio perfunctus est Kalendis Octobris. Corpus ejus Siclinii in pago Medenatensi sepultum, post annos quinquaginta supra trecentos, sanctus Eligius nondum Episcopus invenit, atque honorificè composuit; mausoleo ex auro, argento et gemmis Dagoberti munificentiâ extructo: clavosque è corpore Martyris avulsos in venerationem populis exhibuit.

Vesperæ de Festo sequente.

Die II.

In Festo

SS. Angelorum Custodum.

Duplex minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Hymnus.

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cælestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Nam quòd corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsus honoribus ;
Ardens invidiâ, pellere nititur
Quos cælo Deus advocat.

Huc custos igitur pervigil advola,
Avertens patriâ de tibi creditâ
Tam morbos animi, quam requiescere
Quicquid non sinit incolas.

Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cujus in omnia
Regnat gloria sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi,

℟. Habens thuribulum aureum in manu suâ.

Ad Magnificat Antiph. Dico vobis, Gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Oratio.

DEus, qui ineffabili providentiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis et eorum semper protectione defendi, et æternâ societate gaudere : Per Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio S. Remigii.

Antiph. Dedit. *ut in Communi Pontificum.* xiij. ⟨529⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Deus qui populo. *ut in Communi Doctorum.* xiv. ⟨529⟩.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Angelorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Custodes. *ut ad primas Vesperas.*

Antiph. Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, et custodiat in viâ, et introducat in locum quem præparavi : observa eum, et audi vocem ejus.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini,

℟. De manu Angeli.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Proferens Judith caput Holofernis, ait : Vivit ipse Dominus, quia custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem.

Hymnus.

ORbis patrator optime,
Qui quicquid est potentiâ
Magnâ creasti, nec regis
Minore providentiâ.
Adesto supplicantium
Tibi reorum cœtui
Lucisque sub crepusculum
Lucem novam da mentibus.
Tuusque nobis Angelus
Signatus ad custodiam
Hîc adsit, à contagio
Qui criminum nos protegat.
Serpentis nobis æmuli
Calumnias exterminet ;
Nec rete fraudulentiæ
Incauta nectat pectora.
Metum propellat hostium
Nostris procul de finibus
Pacem procuret civium,
Fugetque pestilentiam.

Deo Patri sit gloria,
Qui quos redemit Filius
Et Sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat.
Amen.

℣. Adorate Deum,
℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Benedictus Antiph. Benè ambuletis, et Dominus sit in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum.

Fit commemoratio S. Leodegarii Episcopi et Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Antiph. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.

Lectio. De S. Leodegario.

LEodegarius, Pictavensis Archidiaconus, ac deinde Monasterii sancti Maxentii Abbas, tum Augustodunensium Episcopus creatus est, cui Ecclesiæ decem annis præfuit. Cùm autem Childerícum secundum, qui in regni administratione illius operâ utebatur, argueret, quòd antiquas regni leges rescidisset, filiamque avunculi duxisset uxorem ; in Luxoviense Monasterium, quò relegatus antea fuerat Ebroinus Major Palatii, amandatus est. Uterque, Rege mortuo, in pristinum gradum est restitutus : sed Ebroinus, Leodegario auctore se in Monasterium detrusum fuisse ratus, Didonem quondam Cabilonensium Episcopum et Varïmerem è Valentina sede ejectum cum exercitu Augustodunum misit, qui eum comprehenderent. Re cognitâ, sanctus Antistes, erogatis in pauperes facultatibus, triduano jejunio indicto, et factis circùm urbis mœnia cum Cruce et reliquiis Sanctorum supplicationibus, Christi Corpore præmunitus, ne quid detrimenti civitas sui causâ pateretur, sponte se tradidit inimicis ; qui illum statim, oculis erutis, in Monasterium conjecerunt. Inde, variis cruciatum tormentis, postquam alligassent palo et lapidibus obruissent Guarinum ejus fratrem, eum præcisis labiis et linguâ in cœnobium Fiscamnense cui Hildomarca Abbatissa sanctissimè præerat, sub custodia asservandum detruserunt. Deinde in palatium ductus, quò nonnulli Episcopi convenerant, cùm linguæ officio nihilosecius uteretur ; discisâ tunicâ, episcopali dignitate spoliatus, conjectus est in carcerem : ex quo in silvam, ejus postea nomine insignitam, à quatuor sicariis abductus, in territorio Atrebatensi capite truncatus est. Corpus ejus ibi apud Sarcingum sepultum, inde post biennium ad Pictones variis in itinere patratis miraculis delatum est, et honorificè in basilicâ sancti Maxentii conditum.

Ad Tertiam.

Antiph. Tollens se Angelus Dei et cum eo columna nubis,

stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israël.

℣. Stetit Angelus juxtà aram templi,

℟. Habens thuribulum aureum in manu suâ.

Ad Sextam.

Antiph. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.

℣. Ascendit fumus aromamatum† in conspectu Domini,

℟. De manu Angeli.

Ad Nonam.

Antiph. Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis: tunc hi tres laudabant et benedicebant Deum.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus:

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos qui crediderunt in eum.

Hymnus. Custodes. *ut ad primas Vesperas.*

℣. Adorate Deum,

℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Magnificat Antiph. Sancti Angeli custodes nostri defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Die iv.

In Festo

S. Francisci Confess.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, (xiv.) ⟨529⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere et cælestium bonorum semper participatione gaudere: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc.

Ad Primam.

Lectio.

FRanciscus, Assisii in Umbria natus, patris exemplum secutus, à prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem, pro Christi amore flagitantem pecuniam, cùm præter consuetudinem repulisset; repentè eo facto commotus, largè ei misericordiam impertivit; qua ex die Deo promisit, se nemini unquam poscenti eleemosynam negaturum. Cùm verò pòst in gravem morbum incidisset; ex eo aliquando confirmatus, cœpit ardentiùs colere officia charitatis. Qua in exercitatione tantùm profecit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquiùs pater, eum ad Assisinatem Episcopum duxit, ut coram illo bonis cederet paternis: qui rejectis etiam vestibus, patri concessit omnia, illud subjun-

gens, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi, Pater noster qui es in cælis. Cùm autem illud ex Evangelio audisset; Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta: sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque detractis calceis, et unâ contentus tunicâ, cùm duodecim socios adhibuisset, Ordinem Minorum instituit, conscriptâ Regulâ, quam anno millesimo ducentesimo nono Innocentius tertius, ad quem supplex Franciscus cum sociis Romam accesserat, confirmavit. Inde reversus, habitavit cum iis in tugurio juxta Assisium; ubi in labore multo magnâque inopiâ, piis meditationibus vacabant. Tunc docuit eos Franciscus Dominum laudare in omnibus creaturis; honorare præcipuâ reverentiâ sacerdotes; et fidei quam Romana tenet Ecclesia, firmiter adhærescere. Eosdem duxit postea ad sanctam Mariam Angelorum: unde in finitimis locis regnum Dei annuntiabat, dicere solitus saluti animarum nihil esse antiponendum. Dimissis in omnes orbis terræ partes fratribus ad prædicandum Christi Evangelium, ipse cupiens sibi aliquam dari martyrii occasionem, trajecit in Syriam: ubi à Soldano liberalissimè exceptus, cùm nihil proficeret, rediit in Italiam. Multis igitur extructis suæ familiæ domiciliis, se in solitudinem montis Alverni contulit: ubi cùm ex more suo quadraginta dierum jejunium in honorem Archangeli Michaëlis occœpisset; quodam manè circam† festum Exaltationis sanctæ Crucis dum oraret in latere montis, ei Seraph, effigiem Crucifixi inter alas præferens, apparuit, qui ejus manibus, pedibus, et lateri vestigia clavorum impressit; quæ à se visa Alexander Papa quartus pro concione testatus est, ut refert qui concionantem ipsum audierat sanctus Bonaventura. Elapso biennio graviter ægrotans, deferri voluit in Ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum; ut ubi gratiæ spiritum à Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet. Eo in loco fratres ad paupertatem ac patientiam, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem servandam cohortatus, psalmum illum pronuntians, Voce mea ad Dominum clamavi; in eo versiculo, Me expectant justi, donec retribuas mihi, efflavit animam. Miraculis clarum Gregorius nonus paulo pòst Sanctis ascripsit.

Ad secundas Vesperas, ab Hymno fit Officium de Festo sequente.

Die v.

In Festo

S. Aureæ Virginis.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. xvij. ⟨532⟩.

Oratio. Deus qui nos. *ibidem.*

Ad primas Vesperas fit commemoratio S. Francisci.

Antiph. Qui vult post me venire, abnegat semetipsum, et

tollat crucem suam, et sequatur me.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas:

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio. Deus qui Ecclesiam. *ut in Festo præcedente.*

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro sancti Audoëni Episcopi de Vita sancti Eligii. *Lib.* 1. *Cap.* 17. *et* 18.

COepit Eligius intra domum suam, quam Parisius ex munere Regis perceperat, Virginum Christi ædificare domicilium: in quo opere diu multúmque instantissimè desudans, dignum tandem sanctarum Virginum construxit asceterium, ubi districtam regulæ disciplinam constituens usque ad trecentarum numerum puellarum ex diversis gentibus tam ex ancillis suis quam ex nobilibus Franciæ matronis congregavit; quibus et Abbatissam, Deo dignam puellam, nomine Auream, filiam scilicet Maurini et Quiriæ, constituit: terræ etiam reditus copiosos delegavit; atque ædificavit basilicam in honore sancti Pauli Apostoli ad ancillarum Dei corpora sepelienda, cujus tecta sublimia operuit plumbo cum elegantia; qua in basilica beatus quoque Quintilianus jacet Abbas humatus. Ædificavit etiam immóque renovavit basilicam in honore sancti Martialis. Inter cetera verò neque illud puto silendum, quòd tempore mortalitatis Parisius didici gestum. Cùm nefanda clades depopularetur urbem Parisiacam, et nonnullæ jam Virgines ex monasterio sancti viri ubi Aurea præerat Abbatissa, ad Dominum præcessissent; apparuit quâdam die beatus Eligius cuidam adolescenti in basilica puellarum, veste candidâ amictus: cúmque is qui aderat, nimio pavore perterritus latibulum quæreret; blandè eum compellans vir beatus, præcepit ut iens citò diceret matri Virginum, quòd ad se quantocyùs† cum deputatis properaret Virginibus. Currens autem is qui audierat, et citiùs Auream præveniens; Surge, inquit, velociter, quia dominus Eligius in Ecclesiam te vocat. Quod cùm illa audiisset, gaudio magno repleta, sine morâ properavit: sed tamen cùm venisset, visio beati viri jam abolita erat; Ecclesia verò ad firmitatis indicium quòd illic esset visus, nebulâ quâdam repleta monstrabatur, in tantum ut candelabra quoque et vela subitâ roris inundantiâ distillare viderentur. Tunc ergo Aurea in sese reversa intellexit se ex hoc mundo vocari; et protinus convocans omnes sorores, cœpit valedicere singulis, sequestrans ex eis nonnullas quæ eam comitarentur: deinde jam ipsâ migrante ad Dominum, et reliquæ nihilominus subsecutæ sunt demum; adeò ut ea tempestate ex eodem Monasterio usque ad numerum centum sexaginta, Monachæ morerentur.

Ad secundas Vesperas, ab Hymno fit Officium de Festo sequente.

Die vi.

In Festo

Sancti Brunonis Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis, (xiv). ⟨529⟩. *præter Orationem.*

Oratio.

SAncti Brunonis Confessoris tui, quæsumus, Domine, intercessionibus adjuvemur; ut qui majestatem tuam jugiter delinquendo offendimus, ejus meritis et precibus nostrorum delictorum veniam consequamur: Per Dominum nostrum etc.

Ad primas Vesperas fit commemoratio S. Aureæ.

Antiph. Veni sponsa. *ut in Communi Virginum.* xix. ⟨534⟩.

℣. Adducentur. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos. xvij. ⟨532⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Fidei Virginis et Martyris.

Antiph. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt æquales Angelis Dei.

℣. Adducentur Regi virgines post eam:

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

DEus, fortitudo errantium et palma Martyrum, qui beatam Virginem Fidem contra tormentorum immanitatem mirâ virtute roborasti; quæsumus ut sicut nos ejus triumpho lætificas, ita semper supplicatione defendas: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

BRuno Coloniæ Agrippinæ natus, à parentibus genere ac virtute claris Parisios missus ut liberalibus disciplinis eruditetur, tantùm profecit, ut in Philosophicis Magisterium obtinuerit. Postea se contulit ad Theologiam; in qua disciplina magnum quoque nomen adeptus, Remensis Ecclesiæ Canonicus et magnorum studiorum Rector electus est. Solitudinis amore flagrans, cum sex aliis familiaribus mundo renuntiavit, ac sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum adiit: qui, causâ eorum adventûs cognitâ, eosque esse intelligens quos eâdem nocte velut septem stellas ad suos pedes corruentes in somnis viderat, montes suæ diœceseos asperrimos, qui Cartusiani dicebantur, incolendos concessit. Illic ædificato oratorio, ac cellulis separatim extructis, bini in singulis habitantes, silentio, orationi, lectioni vacabant; statis horis operi manuum, præsertim conscribendis libris, incumbentes, tum ut vitam sustentarent, tum ut manibus saltem, quod ore non possent, verbum Dei prædicarent. Erat victus eorum parcissimus: cilicio induebantur sub veste angusta et hirsuta. Hugonem Episcopum, interdum nimio solitudinis amore diutiùs in Cartusia commorantem, his verbis admonebat: Redi ad oves tibi commissas; eisque quod debes, fideliter exolve. Eumdem etiam, cùm equos suos vendere et diviso pauperibus pretio diœcésim pedi-

bus obire vehementer optaret, à proposito dimovit, veritus scilicet, ne ille, aut ipsâ humilitate superbiret, aut de singularitate à ceteris carperetur Episcopis, aut propter asperitatem itinerum officio suo fungi non posset. Post sex annos in secessu exactos, Bruno ab Urbano secundo, qui discipulus ejus Lutetiæ fuerat, Romam accersitus, postquam eum in synodis celebrandis gerendisque negotiis ecclesiasticis consilio suo per triennium adjuvisset, ab eo demum facultatem obtinuit eremi repetendæ, recusato Archiepiscopatu Rhegiensis Ecclesiæ, quæ prima est Calabriæ metropolis. Cùm autem Urbanus post celebratum Placentiæ Concilium in Galliam profecturus esset; metuens Bruno, ne, si ad optatam Cartusiam reverteretur, aut Romanam Curiam effugere non posset, aut eam sequi videretur, secessit in eremum propè Scylacéum in Calabria, ubi monasterium ædificavit, liberalitate usus Rogerii Calabriæ Comitis; cui postea Capuam obsidenti per visum nocte apparuit, eumque liberavit ab insidiis Sergii ducis Græcorum militantium in ipsius exercitu. Morti proximus, fidei suæ professionem coram fratribus edidit; eamque contra errorem Berengarii, quem Parisiis magistrum habuerat, conclusit his verbis: Credo etiam sacramenta quæ sancta credit et veneratur Ecclesia; et nominatim, panem et vinum quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum Corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum sanguinem, quæ et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, et in spem salutis æternæ. Quievit in Domino anno millesimo centesimo primo.

Fides Virgo, Aginni ad Garumnam nata, in persecutione Diocletiani et Maximiani accusata quòd Christum coleret, ultrò se satellitibus obtulit, et signo crucis in ore, fronte et pectore se muniens, coram Daciano Præside Christianam fidem professa est. Cúmque eam Præses blanditiis et muneribus ut Dianæ sacrificaret, frustrà tentasset; in lectum æreum inferri, atque igne torqueri jussit. Igitur craticulam Virgo conscendit, ibique catenis constricta est, subjectis ardentibus prunis, et adipe superfuso ut flamma adustis membris tenaciùs inhæreret. Sed repentè delapsa è cælo columba, leni alarum strepitu aërem verberans, copiosum imbrem excitavit quo ignis fuit extinctus. Cùm ergo è flammis divinâ virtute incolumis exiisset; amputato capite, martyrium explevit pridie Nonas Octobris. Hujus Virginis exemplo animatus ad pugnam Caprasius, qui declinandę persecutionis causâ cum aliquot fidelibus in spelunca delitescebat, Christum palam confessus, gladio cæsus est decimo tertio Kalendas Novembris.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio SS. Sergii et Bacchi Martyrum.

Antiph. Istorum. *ut in Communi plurium Martyrum.* ix. ⟨524⟩.

℣. Lætamini. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos concedis. *ibidem.*

DIE VII.

In Festo

SS. SERGII ET BACCHI MARTYRUM.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. ix. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio S. Marci Papæ.

Antiph. Euge serve bone. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨528⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Exaudi, quæsumus. xj. ⟨527⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

SErgius et Bacchus in Provincia Orientis cui nomen Euphratesia, imperante Maximiano martyrio coronati sunt. Bacchus quidem nervis cæsus est quoadusque laniato corpore in confessione Christi animam efflaret: Sergius verò clavatis cothurnis pedes indutus, jussus est ante rhedam Præsidis currere; at, profluente licèt sanguine, liberè incedens, sic lætus psallebat, Statuit Dominus in latitudine pedes meos, et direxit gressus meos. Cùm autem in fide constans permaneret, et oraret pro persecutoribus, abscisso capite martyrium obiit. Cujus nomine locus ubi sepultus est, ob crebra, quibus inclaruit, miracula Sergiopolis est appellatus. Ex quibus illustre imprimis illud fuit, quòd cùm Chosdroës urbem esset expugnaturus, magna hominum multitudo clypeis instructa in mœnibus visa fuerit. Quâ quidem re ad Chosdroën delatâ, cùm aliunde rescivisset perpaucos in civitate, eosque aut senes aut pueros, remansisse; hoc miraculum Martyri ascribens, ab obsidendæ civitatis consilio destitit. Institor autem quidam, natione Syrus, nomine Euphron, ejus reliquiarum portione ditatus, pretiosum pignus Burdigalæ in ædibus suis, constructâ inibi Ecclesiâ, collocavit: ubi multa inter signa illud emicuit, quòd dum civitas incendio flagraret, flamma circumquaque diffusa, eam domum veluti venerata, intactam reliquerit.

Marcus Romanus, Constantino Magno Imperatore Pontifex, instituit ut Episcopus Ostiensis, à quo Romanus Pontifex consecratur, pallio uteretur. Duas Romæ basilicas ædificavit, alteram in Urbe, alteram viâ Ardeatinâ; quas Constantinus auctas, magnis muneribus exornavit. Vixit in Pontificatu menses octo, sepultusque est in cœmeterio Balbinæ.

DIE VIII.

In Vigilia

SS. DIONYSII ET SOCIORUM MARTYRUM.

Simplex.

Officium fit de Feria, cum Oratione sequenti.

Ad Laudes post Antiphonam ad Benedictus, dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

COncede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, venturam beatorum Martyrum tuorum Dionysii, Rustici, et Eleutherii solemnitatem congruo prævenire honore, et venientem dignâ celebrare devotione: Per Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio S. Demetrii Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

DEmetrius Thessalonicensis, Præfectus Illyrici Thessalonicam urbem ad fidem Christi convertit. Quâ de causâ vinctus, ad stadium gladiatorium adductus est. Quem ut vidit Maximianus Imperator ad spectaculum festinans, jussit eum in fornice balnei publici quod huic stadio vicinum erat, custodiri. Eâ in pugnâ, athletam, Lyæum nomine, de cujus viribus Maximianus gloriabatur, juvenis quidam prostratum præter omnium expectationem occidit. Quamobrem dolore simul ac irâ percitus Imperator, jamque ex occursu Demetrii malè auguratus, illum hastis eo quo concludebatur loco, jussit interfici. Corpus ejus Fideles clam noctu in ruderibus in quibus interemptus fuerat, effossâ terrâ sepelierunt: ubi miraculorum et maximè curationum gratiâ inclaruit. Ibi Leontius in ejus memoriam basilicam erexit, non Thessalonicæ modò sed et totius Macedoniæ asylum.

Die ix.

IN FESTO SS. MARTYRUM DIONYSII, RUSTICI, ET ELEUTHERII.

Solemne majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, et meruerunt habere coronas perpetuas.

Hymnus.

LUx de luce Deus, fons quoque luminum,
Quo stat perpetuus cælitibus dies,
Tristem sub misera nocte Luteciam
Quanto lumine recreas!

Huc de sede Petri fervidus advolat;
Aras, fana, deos, funditus eruit;
Et Christum resonans, dedocet impios
Dux verbi Dionysius.

Addunt se comites, et rudibus pia
Committunt fidei semina mentibus:
Sacris barbara gens, jam docilis Deo,
Christum fontibus induit.

Crescit sancta fides, fit nova civitas :
Hinc sævit rabies in tenerum gregem ;
Intentos operi, nec timidos mori
Pastores furor impetit.
Aptantur gladii, verbera, compedes :
Illi supplicium delicias putant,
Subdunt se gladiis ; tres simul occidunt,
Tres cælo simul advolant.
Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro maxima Flamini,
Cui se rite litans, funere splendido
Triplex consecrat hostia. Amen.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi ;
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Magnificat Antiph. O beate Dionysi, magna est merces tua : intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum ; ut nos charitate licèt tibi dissimiles, suâ gratiâ largiente tui faciat esse consortes.

Oratio.

DEus qui hodiernâ die beatum Dionysium Martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiæ in passione roborasti, quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Rusticum et Eleutherium sociare dignatus es, tribue nobis, quæsumus, ex eorum imitatione pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare : Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Martyrum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus.

AD sanctos cineres, pignora martyrum
(Sunt hæc plena Deo) currite civitas :
Hîc cunæ fidei ; funeris in sinu
Vitam pleniùs hausimus.
Hîc, dum justa parant prælia Principes,
Flexis poplitibus præsidium petunt ;
Vestros ante pedes regia supplices
Deponunt diademata.
Quos sensere bonos rebus in arduis
Viventes, etiam post sua funera
Jungi Martyribus, dum veniat dies
Terris ultimus, ambiunt.
Jurant ad tumulos non violabiles :
Contractisque vigor redditur artubus ;
Ægris certa salus, et sua vox redit
Mutis, vitaque mortuis.
Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro maxima Flamini,
Cui se ritè litans funere splendido
Triplex consecrat hostia. Amen.

Antiph. Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs fidei, accepistis illud non ut verbum

hominum, sed sicut est verè verbum Dei.

℣. Exultent justi in conspectu Dei:

℟. Et delectentur in lætitia.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Deputati sumus ut oves occisionis; sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

Hymnus.

A Deste sancti Martyres:
Stet tuta vestro munere
Quæ vestra solemni colit
Trophæa ritu civitas.
Quam prædicastis, emicet
Fides ab antro carceris;
Spes è sepulcro prodeat;
Fornace flagret charitas.
Fovete nos vestro satam
Cruore prolem, pro reis
Orate pacem, judicis
Iram tremendi flectite.
Tu fortitudo Martyrum,
Sis nostra, Jesu, gloria,
Cum Patre, cumque Spiritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus Antiph. Beata nimiùm, et Deo nostro grata societas, in qua Trinitatem confitentes, venerabilem locum trino meruerunt decorare martyrio.

Ad Primam.

Antiph. Dionysium cum Rustico et Eleutherio Parisiis reperit persecutionis furor contra incredulos dimicantem.

Lectio.

Ex Actis Passionis sanctorum Dionysii, Rustici, et Eleutherii. *Chart. vet. armar. Eccl. Paris.*

DIonysius, qui verbi divini semina Gentibus eroganda susceperat, quò ampliùs gentilitatis fervere cognovit errorem, illuc intrepidus et calore fidei inflammatus accessit; et Parisios, Domino ducente, pervenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem, quia virtutem ejus præteritarum pœnarum recordatio roborabat: et qui meruerat esse confessor, non cunctatus est atrocibus populis accedere prædicator. Igitur cùm primùm fide armatus et constantiâ confessionis accessisset intrepidus; Ecclesiam, illis quæ necdum in locis erat, novam construxit; ac officia servientium Clericorum ex more constituit, probatasque personas honore secundi ordinis ampliavit. Cinctus ergo fide, et jam constructione basilicæ roboratus, Deum Gentibus non desinebat insinuare, quem noverat; ejusque omnibus et judicium et misericordiam anteponens, paulatim sociabat Deo quos diabolo subtrahebat. Tantas etiam per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, ut rebellium corda gentilium non minùs miraculis quàm prædicationibus obtineret: miroque modo, inermi viro non valebat plebs armata resistere; sed subdebat se illi certatim Germaniæ cervicositas, et jugum Christi suave imponi sibi arctâ

cordis compunctione poscebat. Ab ipsis quoque destruebantur idola, quorum sumptu fuerant et studio fabricata. Tunc hostis antiquus videns sibi perire quod Domino constabat assiduâ populorum conversione proficere, totam artificii sui machinam ad impugnandum quæ fuerant constructa, convertit ; et suæ partis auctores deorum suorum flentes exitium, ad impietatem subitæ persecutionis armavit ; ut eos qui unum et verum Deum colendum insinuaverant et timendum, perdere diversitate supplicii maturarent. Persecutionis ergo publicatâ sententiâ, impiorum gaudens turba progreditur, et contra dominicum populum pugnatura conspirat, non cunctati appetere gladio quos Dominus suos suo monstraverat esse signaculo. Itaque cùm occiduam orbis partem pro Christianorum inquisitione percurrerent, sanctum Dionysium contra incredulos dimicantem Parisiis repererunt : cum quo etiam Rusticum Presbyterum et Eleutherium Archidiaconem persecutionis furor invenit. Hi beati viri à sancti Dionysii numquam sustinuerunt abesse præsentiâ, quos in unum interrogatio persecutoris invénit, sed et reperire non potuit quem à societate martyrii separaret. Interrogati, unum et verum in Trinitate Deum confitentur ; et terrore subjuncto, multisque affecti injuriis et suppliciis, verberibus macerati Christianos se esse testantur ; visoque percutientis ictu, Domini ac Dei nostri se famulos magnâ confessionis voce pronuntiant. In hac ergo fidei constantia persistentes, reddentes terræ corpora, beatas cælo animas intulerunt ; talique ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri. De quorum passione septimo Idus Octobris Dominus nos gaudere voluit, cui est honor et gloria, virtus et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Tertiam.

Antiph. Hi sancti viri à beati Dionysii numquam sustinuerunt abesse præsentiâ, quos in unum interrogatio persecutoris invénit.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi :

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Sextam.

Antiph. Vnum et verum in Trinitate Deum prædicantes, multis afflicti suppliciis, ejus se famulos magnâ voce pronuntiant.

℣. Exultent justi in conspectu Dei :

℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Nonam.

Antiph. In hâc ergo fidei constantiâ permanentes, reddentes terræ corpora, beatas cælo animas intulerunt.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tali ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis

acpitibus† adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri.

Hymnus. Lux de luce. *ut ad primas Vesperas.*

℣. Exultabunt sancti in gloria :

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnificat Antiph. Hodie beatus Dionysius triumphans agonem explevit, et coronam victoriæ accipere meruit de manu Domini : hodie Rusticus et Eleutherius socii certaminis, ejusdem gloriæ consortes facti sunt, alleluia.

Infra Octavam SS. Martyrum.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, nisi quòd ad Primam Lectio omittitur.

DOMINICA *infrà Octavam, totum officium fit de Dominica occurrente, cum commemoratione SS. Martyrum ad Laudes.*

Antiph. Beata. *ut in Laudibus Festi.* 306. ⟨460⟩.

℣. Exultabunt. *ibidem.*

Oratio. Deus qui hodiernâ die. *ut ad primas Vesperas Festi.*

Die xiv.

Ad Laudes fit commemoratio S. Callisti Papæ et Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit :

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

DEus qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

CAllistus Romanæ Ecclesiæ præfuit post obitum Zephyrini. Sub Alexandro Imperatore, varia pro Christi nomine tormenta passus ; demum per fenestram domus præceps missus est, et in puteum demersus ; cùm quinquennio in Cathedra Petri sedisset. Vetus extat Romæ viâ Appiâ cœmiterium ejus nomine insignitum, in quo multi Martyres sepulti sunt.

Die xv.

Ad Laudes fit commemoratio S. Theresiæ Virginis.

Antiph. In resurrectione neque nubent, neque nubentur ; sed erunt æquales Angelis Dei.

℣. Adducentur Regi virgines post eam :

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

DEus, qui habitaculum tuum in corde pudico constituisti, concede ut qui fidelis sponsæ tuæ Theresiæ puritatem humili veneramur obsequio, piæ devotionis sequamur exemplo : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

THeresia, Abulæ in Hispania natâ ; ex perlectis in tenera ætate Martyrum actis magnum hausit pietatis sensum, qui pos-

tea tum equestrium fabellarum lectione, tum affinium consuetudine imminutus, ita Monialium, quarum disciplinæ commissa fuerat, institutione et Epistolarum beati Hieronymi lectione revixit, ut vicesimo secundo ætatis anno in Abulensi Carmelitarum cœnobio vitæ religiosæ votum emiserit. Ibi humilitatis, ac charitatis, maximè erga infirmas sorores, operibus; patientiâque singulari in variis tentationibus gravibusque morbis per annos ferè viginti perferendis, excelluit. Cùm tamen aliquamdiu sæcularium familiaritate, orationis intermissione, et Confessariorum imperitiâ, aliquid de fervore pietatis remisisset; tandem ex lectione Confessionum sancti Augustini ad Deum penitus reversa, ingentes in virtute progressus fecit. Multis exinde illustrationibus à Deo donata est; quas tamen Superiorum arbitrio subjiciebat, dicere solita, se in revelationibus decipi posse, in obedientia neutiquam posse. Tanto patiendi tenebatur desiderio, ut eos à quibus lædebatur, maximè diligeret, ac sæpè exclamaret: Domine, aut pati, aut mori. Ordinis Carmelitarum reformationem aggressa; multa virorum ac mulierum monasteria (plurimas ob id contumelias, ipsum etiam carcerem passa) instituit. Sororibus suis orationem adversùs grassantes tunc hæreses, laborem manuum, et pauperitatis studium præcipuè commendavit; nihilque carius habuit quàm ut virgines sine dote admitteret. Libros scripsit cælestem pietatem spirantes. Albæ decumbens, Ecclesiæ sacramentis munita, ad Christum abiit die quintâ Octobris, anno ætatis sexagesimo octavo, Christi millesimo quingentesimo octogesimo secundo. Eam ante et post obitum miraculis claram Gregorius decimus quintus Sanctis ascripsit.

Die xvi.

In Octava SS. Mart. Dionysii, Rustici, et Eleutherii.

Duplex minus.

Omnia ut in Festo, (304.) ⟨458⟩ *exceptis Oratione et Lectione ad Primam.*

Oratio.

PRotegat nos, Domine, sæpiùs beatorum Martyrum tuorum Dyonisii, Rustici, et Eleutherii repetita solemnitas ut quorum patrocinia sine intermissione recolimus, perpetuam defensionem sentiamus: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro sancti Audoëni de Vita sancti Eligii.

Lib. i. *Cap.* 23.

QUodam tempore, cùm anniversaria Parisius sancti Dionysii Martyris celebraretur Passio, dum Vigilia à Clero caneretur in Choro, egressus Eligius templo, deambulabat in atrio: viditque eminùs virum cunctis membris contractum contra sancti sepulcrum jacere in pavimento. A Deo fortè inspiratus, ægri mox astitit lateri; blandéque eum compellans, cœ-

pit ab eo inquirere et tempus claudicationis et causam suæ ægritudinis ; sciscitans an haberet spem in Christo, si se crederet quandoque sanandum, an etiam crederet se post mortem resurrecturum et præmia vel pœnas ob meritorum qualitatem recepturum. Cúmque ille, ejus secutus verba, cuncta hæc se credere fateretur ; rursus Eligius infit ; Si ergo hæc, ut astruis, credis, cur hîc inaniter jaces ? roga magis hunc Sanctum ut intercedens apud Dominum reddat te protinus sanum. Et cùm ille ob id se illic excubare diceret ; intuens eum Eligius, ait : Et credis quòd possit hæc Sanctus iste apud Dominum obtinere ? At ille cùm eadem prosequeretur ; dixit iterum Eligius : Si ergo hæc, sicut polliceris, credis, promitte modò Deo te deinceps serviturum, et vide ne trepidet fides tua ; et absque morâ sanabit te domnus iste. Illo autem in omnibus fidem dante, fixit genua Eligius super terram, et prolixè oravit : deinde oculos pariter et palmas ad cælum tendens, Dominum Jesum, fide plenus, promissionis suæ fideliter admonuit quâ dicit Quicquid credentes petieritis, fiet vobis ; et, Si habueritis fidem, majora horum facietis. Cúmque hæc pleno pectore fide ac devotione deposceret ; conversus ad ægrum apprehensâque dexterâ ejus, ait : Si indubitanter credis, sicut promittis ; in nomine Jesu Christi surge et sta super pedes tuos. Hæc dicens attraxit eum ad se fortiter : et illicò nexibus artuum resolutis, elevatus æger stetit, et mox consolidatæ sunt bases ejus et membra, et sanatus est ex ipsa hora. Cui comminans et contestans præcepit Eligius, ut, si nollet rursus talia pati, nullum aliud sanitatis verbum cuiquam ediceret, nisi quòd Dominus Jesus per sanctum Dionysium eum sanasset.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio S. Cerbonii Episcopi.

Antiph. Elegit, *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨527⟩.

℣. Amavit. *ibidem.*

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Die xvii.

In Festo

S. Cerbonii Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xij. ⟨527⟩.

Oratio. Exaudi. xj. ⟨527⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro Dialogorum Sancti Gregorii Papæ.

Lib. 3. *Cap.* 11.

CErbonius Populonii Episcopus magnam diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit. Nam cùm hospitalitatis studio valdè esset intentus, die quadam transeuntes milites hospitio suscepit, quos, Gothis supervenientibus, abscondit ; eorumque vitam ab illorum nequitia abscondendo servavit. Quod dum Gothorum Regi perfido Totilæ nuntiatum fuisset, crudelitatis immanissimæ væsaniâ succensus, hunc, ad locum qui ab octavo hujus urbis milliario Merulis dicitur, ubi tunc

ipse cum exercitu sedebat, jussit deduci, eumque, in spectaculo populi, ursis ad devorandum projici. Dimissus itaque ursus ex cavea est: qui accensus et concitus, Episcopum petiit; sed subitò suæ ferocitatis oblitus, deflexâ cervice summissoque humiliter capite, lambere Episcopi pedes cœpit. Tunc populus qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Tunc ad ejus reverentiam colendam Rex ipse permotus est; quippe cum quo superno judicio actum erat, ut qui Deum sequi priùs in custodiendâ vitâ Episcopi noluit, saltem ad mansuetudinem bestiam sequeretur. Cui rei hi qui tunc præsentes fuerant, adhuc nonnulli supersunt, eamque cum omni illic populo se vidisse testantur.

Die xviii.

In Festo

S. Lucæ Evangelistæ.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apostolorum, (j.) ⟨518⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Oratio.

INterveniat pro nobis, quæsumus, Domine, sanctus tuus Lucas Evangelista, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit: Per Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Evangelistarum Dominum, venite, adoremus.

Ad Laudes fit commemoratio S. Hermelandi Abbatis.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessorum.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Intercessio. xv. ⟨530⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

LUcas, medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant. Græci sermonis non ignarus, fuit sectator Apostoli Pauli, et omnis peregrinationis ejus comes. Scripsit Evangelium, de quo idem Paulus, Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Acta Apostolorum prænotatur: cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum. Igitur periodos Pauli et Theclæ, et totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter ceteras ejus res hoc solùm ignoraverit? Sed et Tertullianus, vicinus illorum temporum, refert Presbyterum quemdam in Asia amatorem Apostoli Pauli, convictum à Joanne quòd auctor esset libri, et confessum se hoc

Pauli amore fecisse, et ob id loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescumque in Epistolis suis Paulus dicit, Juxta Evangelium meum, de Lucæ significare volumine ; et Lucam non solùm ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat ; sed à ceteris Apostolis : quod ipse principio sui voluminis declarat, dicens : Sicut tradiderunt nobis qui à principio ipsi viderunt,et ministri fuerunt sermonis. Igitur Evangelium, sicut audierat, scripsit ; Acta verò Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit. Vixit octoginta et quatuor annos, uxorem non habens. Sepultus est Constantinopoli : ad quam urbem vicesimo Constantini anno ossa ejus cum Reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.

Hermelandus princeps pincernarum Clotarii tertii, relictâ aulâ vitam monasticam amplexus est in cœnobio Fontanellensi quod sanctus Vandregisilus condiderat, cui tamen præerat Landobertus Abbas : deinde propter singularem virtutem à Sancto Audoëno Presbyter est ordinatus. Cùm autem Paschasius Nannetensis Episcopus, Landoberti famâ commotus, ejus institutum in diœcesim suam vellet inducere ; ad eum missus est Hermelandus cum sociis, qui in Antrensi insula monasterium extruxit. Confectus senio nihil de disciplinæ observantia remisit : atque ut divinæ contemplationi liberiùs vacaret, præfecturam monasterii deposuit, et reliquum tempus egit in cella, juxta quam construxit oratorium in honorem sancti Leodegarii Martyris. Tandem prænuntiato obitûs sui die, corporis et sanguinis Christi sacramento munitus, spiritum Deo reddidit, vigesimâ quintâ Martii. Sepultus est in basilica sancti Pauli Apostoli, quam ædificaverat juxta sancti Vandregisili oratorium : ejusque sepulcrum multis miraculis est illustratum.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio SS. Saviniani et Potentiani ac sociorum Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi :

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio. Martyrum tuorum. *ut in Festo sequente.*

Die xix.

In Festo

SS. Saviniani et Potentiani ac Sociorum

Martyrum. Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (ix) ⟨524⟩. *præter Orationem.*

Oratio.

Martyrum tuorum Saviniani Pontificis, Potentiani et sociorum nos, quæsumus, Domine, festa votiva lætificent, et suæ beneficiis intercessionis attollant : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

SAvinianus Episcopus, et Potentianus, à Romano Pontifice in Galliam missi sunt, qui Christi Evangelium annuntiarent. Eo munere perfuncti, metropolim Senonum unà cum plurimis aliis martyrio suo illustrarunt ultimâ die Decembris. Quorum corpora, cùm diu latuissent, Veniloni Archiepiscopo et Anastasio Abbati sancti Petri Vivi ab ipsis Martyribus revelata sunt, et è loco ubi cum sociis etiam Martyribus Altino, Eoaldo, et Serotino condita fuerant, ad basilicam sancti Petri Vivi translata vigesimâ quintâ Augusti, anno octingentesimo quadragesimo septimo. Jacuit eò loci conditum Saviniani corpus plumbeo inclusum loculo, donec anno millesimo trigisimo primo Constantia Roberti Regis conjux, accepti beneficii memor, corpus Martyris è loculo plumbeo in capsam auream gemmis ornatam transtulit decimo Kalendas Septembris cum corporibus sancti Eoaldi ac pueri cujusdam eo in tumulo repertis. Capsam Robertus Rex cum filio, Dominicâ sequente coram Episcopis, Abbatibus, Clericis, Proceribus, ac magnâ populi multitudine, subjectis humeris detulit è crypta ad eum usque locum in quo fidelium conspectui est exposita. In eâ translatione Magenardus quidam, è villa Fontanarum, cæcus à triennio, visum recepit; multusque imber decidit, cùm à Paschate non pluisset.

Die xxi.

In Festo

SS. Ursulæ et Sociar. Virginum et Martyrum.

Semiduplex.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Qui elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius à filiis et filialibus†.

Hymnus. Jesu corona Virginum. *ut in Communi Virg.* xvij. ⟨532⟩.

℣. Filiæ regum delectaverunt te,

℟. In honore tuo.

Ad Magnificat Antiph. Sine maculâ sunt ante thronum Dei, habentes nomen Agni et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum palmas incessabili devotione venerari; ut quas dignâ mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis: Per Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Virginum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Jesu corona Virginum. *ut in Communi Virginum.* xvij. ⟨532⟩.

Antiph. Sponsabo vos mihi in fide; et scietis quia ego Dominus.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam :

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Cantabant Virgines canticum novum ante sedem Dei ; et nemo alius poterat dicere canticum.

Hymnus. Non vana. *ut in Communi Virginum.* xviij. ⟨533⟩.

℣. Exultaverunt filiæ Judæ,

℟. Propter judicia tua, Domine.

Ad Benedictus Antiph. In resurrectione neque nubent, neque nubentur ; sed erunt æquales Angelis Dei.

Fit commemoratio S. Hilarionis Abbatis.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Intercessio. xv. ⟨530⟩.

Deinde fit commemoratio S. Celiniæ Virginis.

Antiph. Veni sponsa Christi ; accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam :

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

TRibue, quæsumus, virtutum cælestium Deus, ut hæc sanctæ Celiniæ Virginis tuæ sacra solemnia, terrena contemnere nos excitent, et bona ambire sempiterna : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus etc.

Ad Primam.

Antiph. Prudentes Virgines accipientes oleum in vasis suis, cum lampadibus exierunt obviam sponso.

Lectio.

URsula, quæ et Saula, Martha, aliæque plures, ad ripam Rheni prope Coloniam Agrippinam pro Christi nomine sanguinem suum profuderunt. Earum corpora sepulta sunt Coloniæ ; ubi plurimis nobilitata miraculis magnâ fidelium veneratione multis abhinc sæculis coluntur. In basilica quæ ibi sub sanctarum Virginum invocatione Deo consecrata est, beatus Cunibertus ejusdem sedis cælitùs designatus est Pontifex indicio columbæ, quæ cùm sacrum facientis capiti insedisset, inde ad tumulum unius è sanctis Virginibus delapsa, postea evanuit. Auxit et celebritatem loci sanctus Anno ejusdem Ecclesiæ Episcopus, qui singulari erga beatas Martyres pietate affectus ad sacros illarum cineres sæpiùs pernoctabat. Sed et è sacris hujus basilicæ tumulis, plurimæ reliquiæ in varias Galliæ provincias allatæ, multas Regni Ecclesias ditaverunt.

Hilarion, Tabathæ in Palæstina ortus ex parentibus infidelibus, Alexandriam missus studiorum causâ, ibi Christianam suscepit religionem. Cùm autem Antonii nomen in Ægypto celeberrimum esset,

ejus videndi studio in solitudinem contendit : apud quem duorum mensium spatio commoratus, omnem ejus didicit vivendi rationem. Domum reversus mortuis parentibus, partem facultatum fratribus, partem pauperibus dilargitus est. Necdùm quintum decimum annum egressus, rediit in solitudinem : ubi constructâ casâ quæ vix ipsum caperet, humi super strato junceo cubabat. Scripturas sacras, quas tenebat memoriter, post orationes et psalmos, quasi Deo præsente, recitabat. Paucas ficus et succum herbarum ad victum adhibebat ; neque ante solis occasum, etiam diebus festis aut in gravissima valetudine, jejunium solvebat. Labore manuum æmulabatur Ægyptiorum Monachorum disciplinam. Variè à dæmonibus vexatus, eos signo Crucis et nominis Jesu invocatione superavit. Tandem octogesimum annum agens, multis ædificatis monasteriis, editisque miraculis, in morbum incidit : et morte imminente sic trepidantem animam compellabat : Egredere anima mea, quid dubitas ? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? Quibus in verbis spiritum exhalavit.

Ad Tertiam.

Antiph. Mediâ autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Filiæ regum delectaverunt te,

℟. In honore tuo.

Ad Sextam.

Antiph. Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam ;

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Ad Nonam.

Antiph. Venit sponsus ; et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.

℣. Afferentur in lætitia et exultatione ;

℟. Adducentur in templum Regis.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Virgines sunt ; et sequuntur Agnum quocumque ierit.

Hymnus. Jesu corona. *ut in Communi Virginum.* xvij. ⟨532⟩.

℣. Exultaverunt filiæ Judæ,

℟. Propter judicia tua, Domine.

Ad Magnificat Antiph. In cælis gaudent Virgines, et cantant canticum novum ante Dei thronum, alleluia.

Fit commemoratio S. Melloni Episcopi.

Antiph. Elegit. *ut in Communi Confessoris Pontificis.* xj. ⟨527⟩.

℣. Amavit. *ibidem.*

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Die xxii.

In Festo

S. Melloni Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xij. ⟨527⟩.

Oratio. Exaudi. xj. ⟨527⟩.

Ad Primam.

Lectio.

MEllonus, cum Aviciano et aliis quibusdam Româ in Gallias profectus, Rotomagi christianam fidem annuntiavit, sedemque episcopalem eâ in urbe primus constituit. Qui, cùm doctrinâ, exemplo, et miraculis fideles confirmasset, plenus meritis, in Domino quievit ; succedente Aviciano, qui interfuit Concilio Arelatensi. Corpus Melloni, longo pòst tempore, Danorum metu, Rotomago translatum est Pontesiam ; ubi in Ecclesiâ Collegiatâ, sub ejus nomine dicatâ, religiosè colitur.

Die xxiv.

In Festo

S. Maglorii Episcopi.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xj.) ⟨526⟩. *præter Orationem.*

Oratio.

MIsericordiam tuam nobis, quæsumus, Domine, sancti Maglorii Confessoris tui atque Pontificis intercessio beata conciliet ; ut qui incessabili culpâ offendimus, ejusdem assiduis precibus ab omni reatu liberemur : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

MAglorius, in majori Britannia natus, sub Heltuto sancti Germani Autissiodorensis discipulo monasticam vitam professus est, et ab eodem sæcularibus et sacris disciplinis instructus. Ob miram vitæ integritatem à beato Sampsone consanguineo suo ad Diaconatum promotus, eumdem in Aremoricos prædicandi Evangelii causâ trajicientem secutus est, laborum omnium et curarum comes individuus. Sampson ad Ecclesiæ Dolensis regimen vocatus à Childeberto Rege, post administratum sanctissimè munus, cùm esset morti proximus, astante universo Clero successorem sibi designavit Maglorium. Mortuo Sampsone, cùm aliquandiu Maglorius verbo et exemplo Dolensibus multùm profuisset ; monitus ab Angelo ut solitariam vitam amplecteretur, eremum petiit, suffecto in locum suum Budoco, cujus pietatem à prima ætate cognoverat. Sed cùm solitudinis latebras detexisset ejus sanctitatis fama ; ad eum undique confluxerunt qui aut corporis aut animæ salutem requirebant : quæ autem in gratiarum actionem ipsi offerebantur munuscula, statim ea pauperibus erogabat. Pertæsus itaque hominum frequentiæ, de abditiore eremo petendâ egit cum Budoco : quo tamen dissuadente, et mœrorem consolante, quòd hanc molestiam bonorum operum fructu compensaret ; substitit, et miraculis in dies clarior evasit. In quibus insigne illud fuit, quòd Comitem Loiesconem è magnatum numero à lepra septenni curaverit : à quo prædii cujusdam in insulâ Sargiensi possessione donatus, Ecclesiam ibi extruxit, et cœ-

nobium sexaginta et ampliùs monachorum instituit. Virginitatem ab infantia perpetuam servavit. Carnem jejuniis, vigiliis, aliisque macerationibus attrivit: orationi adeò intentus, ut cùm fratres se post Officium nocturnum sopori darent, sæpe in maris litore usque ad matutinarum Laudum celebrationem reliquum noctis ageret. Piscatorem in mari mersum suis precibus ad vitam revocavit. Paschatis nocte de propinquo obitu ab Angelo præmonitus, ex eo die ab Ecclesia, nisi necessitate vel aliorum utilitate coactus, non recessit, hæc verba identidem pronuntians: Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Sexto pòst mense, animam exhalavit. Corpus ejus, grassante Normannorum furore Parisios delatum est in basilicam sancti Bartholomæi; deinde in ædem sancti Georgii extra muros, quæ nunc Pœnitentium Puellarum dicitur: eaque loca, quamdiu ibi depositum fuit, ejus nomine sunt insignita. Demum in suburbana Ecclesia sancti Jacobi, quæ nunc sancti Maglorii dicitur, cum corporibus sanctorum Candidi, Senatoris, Sampsonis, et Maclovii, quiescit.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio SS. Crispini et Crispiniani Martyrum.

Antiph. Istorum. *ut in Communi plurium Martyrum.* ix. ⟨524⟩.

℣. Lætamini. *ibidem.*

Oratio. Deus qui nos concedis. *ibidem.*

Die xxv.

In Festo

SS. Crispini et Crispiniani Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. ix. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos concedis. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

CRispinus et Crispinianus, cum beato Quintino et sociis à Romano Pontifice in Gallias missi, Suessionas venerunt: ubi cùm multos ad Christi fidem converterent, comprehensi, immania tormenta pertulerunt. Ac primùm quidem jussu judicis ad trochleas extensi, fustibus cæsi sunt; deinde novo supplicii genere confixi subulis per extremos digitos ungues inter et carnem immissis, et detractis è dorso pellibus laniati: tum molis ad colla suspensis in Axonam fluvium sunt demersi, ex quo tamen incolumes evasere. Postea in plumbum fusum injecti, sed nil læsi, tandem gladio necati sunt. Ibi sub eorum invocatione extructa est basilica, in qua Clodobertus Chilperici Regis filius sepultus est. Horum corpora è crypta eduxit sanctus Eligius, eorumque tumulum mirâ arte decoravit.

Die xxvii.

In Vigilia

SS. Simonis et Judæ Apostolorum.

Simplex.

Officium fit de Feria, cum Oratione sequenti.

Ad Laudes post Antiphonam ad Benedictus, dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut Apostolorum tuorum Simonis et Judæ gloriosa natalitia prævenímus, sic ad tua beneficia promerenda majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant: Per Dominum nostrum etc.

Die xxviii.

In Festo

SS. Simonis et Judæ Apostolorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apostolorum (j.) ⟨518⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

DEus qui nos per beatos Apostolos tuos Simonem et Judam ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam et proficiendo celebrare, et celebrando proficere: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Faronis Episcopi.

Antiph. Euge serve bone. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨528⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Da quæsumus. xj. ⟨527⟩.

Deinde fit commemoratio Translationis S. Genovefæ.

Antiph. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt æquales Angelis Dei.

℣. Adducentur Regi virgines post eam:

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

DEus qui nos hodiernâ die beatæ Virginis Genovefæ translatione tribuisti gaudere, concede propitius ut ejus fidei adjuvemur meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

SImon Cananæus, qui et Zelotes; et Thadæus, qui et Judas Jacobi appellatur in Evangelio, unius ex Catholicis Epistolis scriptor: hic Mesopotamiam, ille Ægyptum Evangelicâ prædicatione peragravit. Posteà in Persidem convenientes, cùm innumerabiles Jesu Christo filios peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus disseminassent; doctrinâ ac miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt.

Faro, Clotario regnante, Gundoaldi Meldensis Episcopi successor, sancto Chilleno Episcopo auctor fuit ut Atrebatenses Christo acquireret: et suam cum beato Audoëno tunc laico contulit operam ut Resbacensis Abbatia ædificaretur, eique jussu regio sanctus Agilus Abbas præficeretur. In cujus basilicæ dedicatione cùm lapis ex Pario marmore altari consecrando destinatus, casu confractus esset; orante Farone cum Amando Episcopo, Agilo,

Audoëno et Eligio, coaluit. Puero cæco donum Spiritûs sancti per chrisma Confirmationis conferens, visum reddidit. Quo tempore Theodorum Cantuariæ Episcopum à Vitaliano Papa in Angliam missum hospitio excepit Agilbertus Parisiorum Episcopus, excepit et Faro Adrianum Abbatem Theodoro comitem à Vitaliano datum, et eum eo egit humanissimè, donec illi per Ebroinum licuit post Theodorum Cantuariam petere. Sedit annis quadraginta sex, successoremque habuit sanctum Hildevertum. Sepultus est in basilica sanctæ Crucis, quam ille in suburbio Meldorum cum Monasterio extruxerat, quæque illius postea nomine est nuncupata.

DIE XXX.

In Festo

S. LUCANI MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, (v.) ⟨522⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

ANnue, quæsumus, omnipotens Deus, intercedente beato Lucano Martyre tuo, ut sicut copiosa ei victoria dedit triumphum, ita et nobis continuum præstet, te largiente, auxilium: Per Dominum nostrum etc.

DIE XXXI.

In Vigilia

OMNIUM SANCTORUM.

Simplex.

Officium fit de Feria, cum Oratione sequenti.

Ad Laudes post Antiphonam ad Benedictus, dicuntur Preces Kyrie eleison etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

DOmine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam; et quorum prævenímus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiam: Per Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio S. Quintini Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris; et intercessione beati Quintini Martyris tui, perpetuam nobis misericordiam benignus impende: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

QUintinus, Maximiano et Diocletiano Imperatoribus, cum sociis aliquot Româ in Gallias venit, Christi fidem prædicaturus. Quod cùm magnâ constantiâ Ambianis perficeret, à Rictio Varo exquisitis tormentis cruciatus, deinde apud Augustam Veromanduorum duabus sudibus ferreis à cervice usque ad crura transfixus, postremò capite truncatus est.

Corpus ejus in Suminam projectum Eusebia pia mulier post annos quinquagintaquinque, revelante Angelo, invénit; statimque oculorum usum, quo dudum fuerat orbata, recuperavit. Illud in monte sepelivit propter urbem, sacellumque tumulo superstruxit. Ignorantibus posteris quo in Ecclesiæ loco jaceret, Eligio Deus patefecit: qui de terra sublatum corpus piè osculatus, dentes è maxilla in languentium medelam abstulit, tumque ex dentis radice sanguinis gutta stillavit. Clavos etiam prægrandes, corpori ejus quondam à tortoribus infixos, è cerebro ceterisque artubus avulsos, et capillos ejusdem, velut sacras reliquias sibi servavit. Deinde pallio holoserico obvolutum corpus, ponè altare condidit; tumulumque miro opere desuper fabricavit ex auro, argento, et gemmis; auctâ etiam basilicâ, in qua, ut in ceteris locis quæ ditavit Eligius, signa et virtutes Dominus operatus est.

Die 1.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Solemne majus.

Ad Primas Vesperas.

Antiphona.

[V]Idi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum.

Psalmus. Dixit Dominus. 15. ⟨4⟩.

Antiph. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum.

Psalmus. Confitebor. 15. ⟨4⟩.

Antiph. Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum.

Psalmus. Beatus vir qui timet Dominum. 16. ⟨4⟩.

Antiph. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies lætitiæ, et confitemini illi.

Psalmus. Laudate pueri. 16. ⟨4⟩.

Antiph. Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti sibi: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Psalmus. Laudate Dominum omnes gentes. 32. ⟨5⟩.

Capitulum. Apocal. 7.

Ecce ego Joannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

Resp. Deo gratias.

Responsorium. Concede nobis Domine, quæsumus, veniam delictorum; et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, talem nobis tribue devotionem, ut ad eorum pervenire mereamur societatem.

℣. Adjuvent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera; excuset intercessio quos accusat actio: et qui eis tribuisti cælestis palmam triumphi, nobis veniam non deneges peccati.

℟. Ut ad eorum pervenire mereamur societatem.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Ut ad eorum pervenire meamur societatem.

Hymnus.

Cælo quos eadem gloria consecrat,
Terris vos eadem concelebrat dies:
Læti vestra simul præmia pangimus,
Duris parta laboribus.

Jam vos pascit amor, nudaque veritas ;
De pleno bibitis gaudia flumine ;
Illic perpetuam mens satiat sitim
Sacris ebria fontibus.
Altis secum habitans in penetralibus
Se Rex ipse suo contuitu beat ;
Illabensque, sui prodigus, intimis
Sese mentibus inserit.
Altari medio, cui Deus insidet,
Agni fumat adhuc innocuus cruor :
Quæ mactata Patri se semel obtulit,
Se jugis litat hostia.
Pronis turba Senum cernua frontibus,
Inter tot rutili fulgura luminis,
Regnanti Domino devovet aurea,
Quæ ponit, diademata.
Gentes innumeræ, conspicuæ stolas
Agni purpureo sanguine candidas,
Palmis læta cohors, cantibus æmulis
Ter sanctum celebrant Deum.
Sit laus summa Patri, summaque Filio ;
Sit par sancte tibi laus quoque Spiritus,
Qui das pro meritis, optimus arbiter,
Te totum simul omnibus.
Amen.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi :

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Antiph. Angeli, Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes cælorum, Cherubim atque Seraphim, Patriarchæ et Prophetæ, sancti legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, sancti Confessores, Virgines Domini, Anahorethæ, Sanctique omnes intercedite pro nobis.

Canticum. Magnificat. 125. ⟨22⟩.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub unâ tribuisti celebritate venerari, quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris : Per Dominum nostrum etc.

AD COMPLETORIUM.

Incipitur absolutè, Converte nos Deus etc.

Antiph. Miserere mei Domine, et exaudi orationem meam.

Psalmi. Cùm invocarem. 17. In te Domine. 18. Qui habitat. *ibidem.* Ecce nunc. 19. ⟨4⟩.

Hymnus. Te lucis. 126. ⟨23⟩.

Capitulum. Jeremiæ 14.

TU autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos : ne derelinquas nos.

Resp. Deo gratias.

Responsorium breve. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Repetitur. In manus etc.

℣. Redemisti nos, Domine Deus veritatis.

℟. Commendo spiritum meum.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi :

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Antiph. Salva nos, Domine, vigilantes ; custodi nos dormientes ; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Canticum. Nunc dimittis. 126. ⟨23⟩.

Oratio. Visita. *et reliqua.* 127. ⟨23⟩.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem regum Dominum, venite, adoremus : *Quia ipse est corona Sanctorum omnium.

Psalmus. Venite. 116. ⟨14⟩.

Hymnus.

VOs sancti Proceres, vos Superûm chori,
Cæli quotquot habet Regia principes,
Nostros nunc date vestris
Cantus jungere cantibus.

Primis ante alios, gloria cælitum,
Christi Virgo parens fulget honoribus ;
Divinoque severum
Flectit pignore Judicem.

Adstant Spirituum mille acies throno :
Regi sancta ferunt vota clientium :
Hîc Baptista profundo
Lucis flumine mergitur.

Quorum nuntia vox, orbis ad ultimas,
Christum vox resonans, intonuit plagas,
Præcones duodeni,
Sacris Vatibus assident.

Fuso purpurei sanguine Martyres,
Et puro niveæ pectore Virgines,
Agno candida fundunt
Rubris lilia cum rosis.

Qui pavere suos Præpositi greges,
Pascuntur supero numine pleniùs :
Qui flevere, serenus
Abstergit lacrymas Pater.

A quo cuncta fluunt, maxima laus Patri ;
Qui mundum reparat, maxima Filio ;
Et quo pectora flagrant,
Sit laus maxima Flamini. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Novit Dominus viam justorum, qui in lege ejus meditantur die ac nocte.

Psalmus. Beatus vir qui non abiit. 1. ⟨1⟩.

Antiph. Mirificavit Dominus Sanctos suos, et exaudivit eos clamantes ad se.

Psalmus. Cùm invocarem. 17. ⟨4⟩.

Antiph. Admirabile est nomen tuum, Domine, quia gloriâ et honore coronasti Sanctos tuos, et constituisti eos super opera manuum tuarum.

Psalmus. Domine Dominus noster. 3. ⟨1⟩.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi ;

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Absolutio. Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, et miserere nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetuâ benedicat nos Pater æternus. *Resp.* Amen.

Ex libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 4. ⟨*v.* 2–8⟩.

ET sedes posita erat . . . qui erat, et qui est, et qui venturus est. Tu autem Domine miserere nostri.

Resp. Deo gratias.

Responsorium. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : et plena erat omnis terra majestate ejus : *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.

℣. Seraphim stabant super illud ; sex alæ uni, et sex alæ alteri : *Et ea quæ.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur. *Resp.* Amen.

Lectio ij. Cap. 5. ⟨*v.* 1–9.⟩

ET vidi in dextera sedentis . . . quæ sunt orationes Sanctorum.

Responsorium. Beata es virgo Maria, Dei genitrix, quæ credidisti Domino : perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltata es super choros Angelorum. *Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum : *Intercede.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Spiritûs sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. *Resp.* Amen.

Lectio iij. Apocal. 5. ⟨*v.* 9–16⟩.

ET cantabant canticum novum . . . adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Responsorium. Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, *Dicentium voce magnâ : *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

℣. Et erat numerus eorum millia millium, *Dicentium. Gloria Patri. *Dignus est.

In II. Nocturno.

Antiph. Domine, qui operati sunt justitiam, habitabunt in tabernaculo tuo, et requiescent in monte sancto tuo.

Psalmus. Domine quis habitabit. 46. ⟨7⟩.

Antiph. Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.

Psalmus. Domini est terra. 26. ⟨5⟩.

Antiph. Lætamini in Domino et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.

Psalmus. Beati quorum. 22. ⟨5⟩.

℣. Exultent justi in conspectu Dei :

℟. Et delectentur in lætitia.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Absolutio. Ipsius pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens. *Resp.* Amen.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

In Festo omnium SS. Serm. 2.

Lectio iv.

FEstiva nobis est dies hæc, et inter præcipuas solemnitates numeratur. Novimus festivitatem omnium Sanctorum dici et esse, quam hodie celebramus; omnium inquam, sive cælestium sive terrestrium. Sunt enim Sancti de cælo; et sunt Sancti de terra. Itemque eorum qui de terra, sunt quidam adhuc in terra, aliqui jam in cælo. Celebratur ergo festivitas omnium horum communiter, sed forsitan non uniformiter: nec modò dico, quia alius alio sanctior; verùm etiam, aliter atque aliter Sanctos dici, et verè dici inveniamus. In Angelis honoranda benignitas Dei, non ad pœnitentiam adducens, sed abducens ab omnibus quibus pœnitentia deberetur; non eripiens à tentatione, sed à tentatione conservans. Aliud sanè in his sanctitatis genus videtur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, et dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni.

Responsorium. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, *Qui viam Domino præparavit in eremo.

℣. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes; *Qui viam Domino.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.

Resp. Amen.

Lectio v.

EStne adhuc Sanctorum tertium genus? Est; sed occultum. Sunt enim Sancti qui adhuc militant; currunt, necdum comprehenderunt. Hæc nimirùm diversitas appellationis in nomine sanctitatis, ut alii quidem jam secundùm consummationem sancti vocentur, alii juxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergo hujusmodi sanctitas penes Deum: clausa est, et clausè quodammodo celebratur. Sit ergo istorum celebritas Sanctorum in corde Dei, quoniam novit Dominus qui sunt ejus. Nos, in vita sua hominem laudare prohibemur. Quomodo namque secura laudatio, ubi nec ipsa vita secura? Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est. Cantamus Sanctis hac nocte, dicentes, Timete Dominum omnes Sancti ejus: sed non istis. Illis potiùs dicebamus Sanctis, quibus custodia multiplex necessaria est pro multitudine periculorum.

Responsorium. Isti sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: *Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt.

℣. In omnem terram exivit

sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum : *Calicem.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.

Resp. Amen.

Lectio vj.

AD quid Sanctis laus nostra? Ad quid nostra hæc ipsa solemnitas? Quò eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cælestis? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi : bonorum nostrorum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotione præstatur. Planè, quòd eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantùm interest nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari ; ut eorum tam optabili societate fruamur, et mereamur concives et contubernales esse Spirituum beatorum, misceri cœtui Patriarcharum, cuneis Prophetarum, senatui Apostolorum, Martyrum exercitibus numerosis, Confessorum collegiis, Virginum choris ; in omnium denique colligi et collætari communione Sanctorum.

Responsorium. O constantia Martyrum laudabilis ! ô charitas inextinguibilis ! ô patientia invincibilis ! quæ licet inter pressuras persequentium visa sit despicabilis ; invenietur in laudem, et gloriam, et honorem, *In tempore retributionis.

℣. Nobis ergo petimus, piis subveniant meritis, honorificati à Patre qui est in cælis, *In tempore retributionis.

Gloria patri.

*In tempore retributionis.

In III. Nocturno.

Antiph. Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum : ecce oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum.

Psalmus. Benedicam. 27. ⟨5⟩.

Antiph. Domine, spes Sanctorum et turris fortitudinis eorum, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum ; et habitabunt in tabernaculo tuo in sæcula.

Psalmus. Exaudi Deus deprecationem. 57. ⟨8⟩.

Antiph. Qui diligitis Dominum, lætamini in Domino, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Psalmus. Dominus regnavit, exultet terra. 93. ⟨10⟩.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Absolutio. A vinculis peccatorum nostrum† absolvat nos omnipotens et misericors Dominus.

Resp. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Evangelica lectio sit nobis salus et protectio.

Resp. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo tempore : Videns Jesus turbas, ascendit in montem :

et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus : Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Lib.* 1. *de Serm. Dom. in monte.*

SErmonem quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, sicut in Evangelio secundùm Matthæum legimus, si quis piè sobrièque considerare voluerit, puto quòd inveniet in eo, quod ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum. Si quæritur quid significet Mons : benè intelligitur significare majora præcepta justitiæ ; quia minora erant quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophetas et famulos suos, secundùm ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem timore adhuc alligari oportebat ; et per Filium suum majora populo, quem charitate jam liberari convenerat. Cùm autem minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam.

Responsorium. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris ; *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis.

℣. Vigilate ergo ; quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit : *Et vos.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Quorum festum colimus, ipsi intercedant pro nobis ad Dominum.

Resp. Amen.

Post pauca. Lectio viij.

QUid ergo dicit ? Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, Omnia vanitas et præsumptio spiritûs. Præsumptio autem spiritûs audaciam et superbiam significat. Vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur ; et rectè, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Quis verò nesciat superbos, inflatos dici, tamquam vento distentos? Unde est etiam illud Apostoli, Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quapropter rectè hìc intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum. Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram. Illam credo terram de qua in Psalmo dicitur : Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Significat enim quamdam soliditatem et stabilitatem hereditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum tamquam in loco suo requiescit, sicut corpus in terra ; et inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra : ipsa est requies et vita Sanctorum.

Responsorium. Mediâ nocte clamor factus est : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Prudentes virgines, aptate vestras lampades, *Ecce sponsus.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Ad societatun civium supernorum perducat nos Rex Angelorum. *Resp.* Amen.

Lectio ix.

BEati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Luctus est tristitiâ de amissione carorum. Conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo cara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant; et donec fiat in illis amor æternorum, nonnullâ mœstitiâ sauciantur. Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maximè propterea Paracletus nominatur, id est, Consolator; ut temporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Jam istos amatores dicit veri et inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit, Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei; quod est justitia: et illâ aquâ, de qua quisquis biberit, ut idem dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Responsorium. Concede nobis Domine, quæsumus, veniam delictorum; et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, talem nobis tribue devotionem, *Ut ad eorum pervenire mereamur societatem.

℣. Adjuvent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera; excuset intercessio, quos accusat actio: et qui eis tribuisti cælestis palmam triumphi, nobis veniam non deneges peccati, *Ut ad eorum. Gloria Patri. *Ut ad eorum.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩

℣. Exultate justi in Domino.

℟. Rectos decet collaudatio.

Ad Laudes.

Antiph. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum.

Psalmus. Dominus regnavit decorem indutus est. 5. ⟨1⟩.

Antiph. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum.

Psalmos. Jubilate. 6. ⟨1⟩.

Antiph. Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum.

Psalmi. Deus Deus meus. 23 *et* Deus misereatur. 24. ⟨5⟩.

Antiph. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies lætitiæ et confitemini illi.

Canticum. Benedicite omnia opera. 6. ⟨1⟩.

Antiph. Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti sibi; gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Psalmi. Laudate Dominum de cælis. 39. Cantate. *ibidem.* Laudate Dominum in sanctis. *ibidem.* ⟨6⟩.

Capitulum.

Apocal. 5.† ⟨vij. 2–3⟩.

ECce ego Joannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ et mari neque arboribus, quoad-

usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

Resp. Deo gratias.

Hymnus.

OMnis dum resonat curia cælitum,
Hîc flemus, patriis finibus exules:
Hîc suspensa tenemus
Mutis cantibus organa.
Quando mens misero libera carcere
Se vestris sociam cœtibus inseret?
Per vestigia vestra;
Quò Christus vocat, ibimus.
Obscuræ fugient mentis imagines,
Cùm stantes propiùs luminis ad jubar,
Nos Verum sine nube
Ipso in fonte videbimus.
Nobis, sancta cohors, sis bona; fluctibus
Luctantes mediis, quos modò respicis,
Da portûs, duce Christo,
Da contingere prosperos.
A quo cuncta fluunt, maxima laus Patri;
Qui mundum reparat, maxima Filio;
Et quo pectora flagrant,
Sit laus maxima Flamini. Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Antiph. Te gloriosus Apostolorum chorus, te Prophetarum laudabilis numerus, te Martyrum candidatus laudat exercitus; te omnes sancti et electi voce confitentur unanimes, beata Trinitas unus Deus.

Canticum. Benedictus Dominus Deus Israël. 119. ⟨16⟩.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub unâ tribuisti celebritate venerari, quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Hymnus. Jam lucis. 121. ⟨18⟩.

Antiph. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum.

Psalmi de Prima Dominicæ, ut in Psalterio. 7. ⟨2⟩. *Symbolum autem S. Athanasii omittitur.*

Capitulum. 1. Timoth. 1.

REgi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Resp. Deo gratias.

Responsorium breve. Christe, fili Dei vivi, miserere nobis.

Repetitur. Christe, etc.

℣. Qui sedes ad dexteram Patris,

℟. Miserere nobis.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Christe, fili Dei vivi, miserere nobis.

℣. Exurge Christe, adjuva nos,

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodie salva virtute: ut in hâc die ad nullum declinemus peccatum; sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera: Per Dominum nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Pretiosa in conspectu Domini,

℟. Mors sanctorum ejus.

℣. Sancta Maria et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende:

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Deus in adjutorium meum intende:

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Deus in adjutorium meum intende:

℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

℣. Respice in servos tuos, Domine, et in opera tua: et dirige filios eorum.

℟. Et sit splendor Domini Dei super nos; et opera manuum nostrarum dirige super nos; et opus manuum nostrarum dirige. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. *Oratio.*

DIrigere et sanctificare, regere et gubernare dignare Domine Deus, Rex cæli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros, in lege tua et in operibus mandatorum tuorum; ut hîc et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens.

Resp. Amen.

Lectio brevis. Apoc. 7.

BEnedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum: amen. Tu autem Domine miserere nostri.

Resp. Deo gratias.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedicite.

℟. Deus.

℣. Dominus nos benedicat, et

ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Ad Tertiam.

Hymnus. Nunc sancte. 123. ⟨20⟩.

Antiph. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum.

Psalmi de Tertia Dominicæ, ut in Psalterio. 10. ⟨3⟩.

Capitulum. Apocal. 7.

ECce ego Joannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magnâ quatuor Angelis quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

Resp. Deo gratias.

Responsor. breve. Lætamini in Domino et exultate justi, alleluia, alleluia.

Repetitur. Lætamini etc.

℣. Et gloriamini omnes recti corde.

℟. Alleluia, alleluia.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Lætamini in Domino et exultate justi, alleluia, alleluia.

℣. Exultent justi in conspectu Dei:

℟. Et delectentur in lætitia.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub unâ tribuisti celebritate venerari, quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris: Per Dominum nostrum etc.

Ad Sextam.

Hymnus. Rector. 123. ⟨20⟩.

Antiph. Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum.

Psalmi de Sexta Dominicæ, ut in Psalterio. 12. ⟨4⟩.

Capitulum. Apocal. 7.

POst hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis; stantes ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Resp. Deo gratias.

Respons. breve. Exultent justi in conspectu Dei, alleluia, alleluia.

Repetitur. Exultent etc.

℣. Et delectentur in lætitia.

℟. Alleluia, alleluia.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Exultent justi in conspectu Dei, alleluia, alleluia.

℣. Justi autem in perpetuum vivent:

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio. Omnipotens. *ut suprà ad Tertiam.*

AD NONAM.

Hymnus. Rerum. 124. ⟨21⟩.

Antiph. Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti sibi: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Psalmi de Nona Dominicæ, ut in Psalterio. 13. ⟨4⟩.

Capitulum. Apocal. 7.

BEnedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum: amen.

Resp. Deo gratias.

Respons. breve. Justi autem in perpetuum vivent, alleluia, alleluia.

Repetitur. Justi autem etc.

℣. Et apud Dominum est merces eorum.

℟. Alleluia, alleluia.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Justi autem in perpetuum vivent, alleluia, alleluia.

℣. Exultabuntsancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio. Omnipotens. *ut suprà ad Tertiam.*

AD SECUNDAS VESPERAS.

Antiph. In concilio justorum et congregatione magna opera Domini.

Psalmus. Confitebor. 15. ⟨4⟩.

Antiph. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

Psalmus. Credidi. 32. ⟨5⟩.

Antiph. In civitate sanctâ Jerusalem abundantia et pax diligentibus te, Domine.

Psalmus. Lætatus. 47. ⟨7⟩.

Antiph. Venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Psalmus. In convertendo. 48. ⟨7⟩.

Antiph. Justi confitebuntur nomini tuo, Domine; et habitabunt recti cum vultu tuo.

Psalmus. Eripe me Domine. 96. ⟨11⟩.

Capitulum et Hymnus ut ad Primas Vesperas. 324. ⟨475⟩.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Antiph. O quàm gloriosum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit.

Canticum. Magnificat. 125. ⟨22⟩.

Oratio. Omnipotens. *ut suprà ad Tertiam.*

Post Vesperas Festi dicuntur Vesperæ Defunctorum, ut infrà. xxviij. ⟨542⟩. *cum sola Oratione.* Fidelium. xxxj. ⟨543⟩.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut suprà. 325. ⟨476⟩.

DIE II.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Duplex majus.

AD MATUTINUM.

Dictis Pater noster etc. Ave Maria etc. Credo etc. *Matutinum incipitur absolutè ab Invitatorio.*

Invitatorium. Regem, cui omnia vivunt, *Venite, adoremus.

Psalmus. Venite. 116. ⟨14⟩. *in cujus fine non additur* Gloria

Patri etc. *sed ejus loco dicitur* Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Hymnus non dicitur.

Antiphonæ, Psalmi, et reliqua omnia, ut in Officio Defunctorum. (xxxj.) ⟨543⟩ *præter Lectiones, quæ dicuntur ut infrà, cum suo Titulo, nullâ Absolutione aut Benedictione præmissâ.*

In I. Nocturno.

Lectio j.

De libro Job. *Cap.* 7.

PArce mihi ; nihil enim sunt dies mei. etc. *ut in Officio Defunctorum*, xxxiv. ⟨544⟩.

In fine Lectionum non dicitur Tu autem etc. *nec quicquam aliud.*

Responsorium. Qui Lazarum. xxxiv. ⟨544⟩.

Lectio ij. Cap. 14.

HOmo natus de muliere etc. *ut in Officio Defunctorum.* xxxvij. ⟨545⟩.

Responsorium. Credo quòd Redemptor. xxxiv. ⟨544⟩.

Lectio iij. Cap. 19.

PElli meæ etc. *ut in Officio Defunctorum.* xlj. ⟨546⟩.

Responsorium. Hei mihi Domine. xxxv. ⟨544⟩.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex libro sancti Augustini Episcopi, de Verbis Apostoli.

Serm. 34.

ADmonet nos beatus Apostolus, ut de dormientibus, hoc est mortuis charissimis nostris, non contristemur sicut et ceteri qui spem non habent, spem scilicet resurrectionis et incorruptionis æternæ. Nam ideò et dormientes eos appellat Scripturæ veracissima consuetudo, ut cùm dormientes audivimus, evigilaturos minimè desperemus. Unde etiam cantatur in Psalmo : Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ? Est ergo de mortuis eis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodo naturalis : mortem quippe horret non opinio, sed natura ; nec mors homini accideret, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia, quæ ita creata sunt ut suo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam ; quantò magis homo, qui sic fuerat creatus, ut si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret ? Hinc itaque necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus : quia etsi novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantùm præcedere secuturos ; tamen mors ipsa, quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum, Ideò admonuit Apostolus, non ut non contristemur, sed non sicut ceteri qui spem non habent.

Responsorium. Ne recorderis. *ut in Officio Defunctorum.* xxxvij. ⟨545⟩.

Lectio v.

COntristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas afficit,

hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causâ, opera misericordiæ celebrantur ; quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur ? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis ; sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, ejusque sacramentis, de corporibus exierunt ; frustrà illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hîc essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, et sibi non misericordiam thesaurizantes sed iram.

Responsorium. Domine quando veneris. *ut in Officio Defunctorum.* xxxvij. ⟨545⟩.

Lectio vj.

NOn ergo mortuis nova merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid impendunt sui ; sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Non enim dictum est, nisi cùm hîc viverent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cùm hîc vivere destitissent. Et ideò istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam. Permittantur itaque piæ corda carorum, de suorum mortibus contristari dolore sanabili ; et consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, quâ credunt fideles quando moriuntur, paululùm à nobis abire et ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, sive quæ funeribus exhibentur, sive quæ dolentibus exhibentur ; ne sit justa querela dicentium : Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni. Sit pro viribus cura sepeliendi et sepulcra construendi : quia et hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt ; nec solùm in corporibus Patriarcharum aliorumque sanctorum, et humanis cadaveribus quorumcumque jacentium, verum etiam in ipsius Domini corpore, prædicati atque collaudati sunt qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, et sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis observantiùs, instantiùs,

abundantiùs impendant, qui suos carne non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant.

Responsorium. Peccantem. *ut in Officio Defunctorum.* xxxviij. ⟨545⟩.

In III. Nocturno.

Lectio vij.

De Epistola prima beati Pauli Apostoli, ad Corinthios.

Cap. 15. ⟨*v.* 12–22.⟩

SI Christus prædicatur ... ita et in Christo omnes vivificabuntur.

Responsorium. Domine secundùm actum meum. *ut in Officio Defunctorum.* xlj. ⟨546⟩.

Lectio viij. ⟨*v.* 35–44.⟩

SEd dicet aliquis ... seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.

Responsorium. Memento mei. *ut in Officio Defunctorum.* xlj. ⟨546⟩.

Lectio ix. ⟨*v.* 51–58.⟩

ECce mysterium vobis dico ... labor vester non est inanis in Domino.

Responsorium. Libera me Domine. *cum Versiculis sequentibus, ut in Officio Defunctorum.* xlj. ⟨546⟩.

Ad Laudes.

Omnia ut ⟨*in*⟩ *Officio Defunctorum* (xlij.) ⟨547⟩ *cum solâ Oratione.* Fidelium. xxxj. ⟨543⟩.

Ad Horas, *dictis* Pater noster etc. Ave Maria etc. *absolutè incipiuntur Psalmi de Prima, Tertia, Sexta, et Nona Dominicæ, ut in Psalterio. Nec in fine singulorum Psalmorum additur versus* Gloria Patri etc. *sed in fine ultimi tantùm Psalmi singularum Horarum dicitur* ℣. Requiem æternam etc. *ac deinde Responsorium proprium; quo finito dicitur absolutè,* Oremus. Fidelium etc. *ut infrà ad Primam.*

Ad Primam.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

Deinde continuò dicuntur Psalmi Deus in nomine tuo. 7. Beati immaculati. *ibidem.* Retribue. 8. ⟨4⟩ *quibus finitis non dicitur* Gloria Patri etc. *sed ejus loco dicitur* Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Responsorium. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum, tu eis Domine dona requiem, et locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem, tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiæ.

Repetitur. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum, tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiæ.

Deinde dicitur absolutè.

Oremus. *Oratio.*

FIdelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs

sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

Ad Tertiam.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

Legem pone. *cum reliquis de Tertia Dominicæ, ut in Psalterio.* 10. ⟨3⟩. *quibus finitis dicitur.* Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Responsorium. Hei mihi, Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser ? ubi fugiam nisi ad te, Deus meus ? miserere mei, dum veneris in novissimo die.

℣. Anima mea turbata est valdè : sed tu Domine succurre ei ; dum veneris in novissimo die.

Repetitur. Hei mihi etc. *usque ad* ℣.

Deinde dicitur absolutè Oremus. Fidelium etc. *ut suprà ad Primam.*

Ad Sextam.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

Defecit. *cum reliquis de Sexta Dominicæ, ut in Psalterio.* 12. ⟨4⟩. *quibus finitis dicitur* Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Responsorium. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vultu iræ tuæ ? quia peccavi nimis in vita mea

℣. Commissa mea pavesco, et antè te erubesco : dum veneris judicare, noli me condemnare : quia peccavi nimis in vita mea.

Repetitur. Domine, quando etc. *usque ad* ℣.

Deinde dicitur absolutè

Oremus. Fidelium etc. *ut suprà ad Primam.*

Ad Nonam.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

Mirabilia. *cum reliquis de Nona Dominicæ, ut in Psalterio.* 13. ⟨4⟩. *quibus finitis dicitur* Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Responsorium. Domine secundùm actum meum noli me judicare : nihil dignum in conspectu tuo egi ; ideò deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

℣. Iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum coram me est semper ; tibi soli peccavi : ideò deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

Repetitur. Domine, secundùm etc. *usque ad* ℣.

Deinde dicitur absolutè

Oremus. Fidelium etc. *ut suprà ad Primam.*

Vesperæ de Festo sequente.

Die III.

In Festo.

Sancti Marcelli Episcopi Parisiensis.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. In omnibus seipsum præbuit exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum :

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat Antiph. Curavit gentem suam, et liberavit eam à perditione ; et adeptus est gloriam in conversatione gentis.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, famulis tuis inviolabilem fidei firmitatem : ut beati Marcelli Confessoris tui atque Pontificis transitum celebrantes, meritis ipsius intervenientibus, regni cælestis gaudia consequamur : Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

Antiph. Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis, et quasi sol refulgens ; sic ille effulsit in templo Dei.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Hymnus. Jesu sacerdotum decus. *ut in Communi Pontificum* xij. ⟨527⟩.

℣. Posui adjutorium super potentem :

℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Ad Benedictus Antiph. In ascensu altaris sancti gloriam dedit, sanctitatis amictum ; ipse stans juxta aram, et circa illum corona fratrum.

Fit commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Antiph. Te gloriosus. *ut infrà* 347. ⟨495⟩.

℣. Exultabunt. *ibidem.*

Oratio. Omnipotens. *ibidem.*

Deinde fit commemoratio SS. Eustachii et sociorum Martyrum.

Antiph. Absterget. *ut in Communi plurium Martyrum.* x. ⟨525⟩.

℣. Lætamini. ix. ⟨524⟩.

Oratio. Deus qui nos annuâ. *ibidem.*

AD PRIMAM.

Antiph. Hic est sacerdos magnus, qui in vita suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.

Lectio.

Ex libro sancti Fortunati Episcopi, de vita sancti Marcelli.

MArcellus, natus Parisiis ; mediocris parentibus, sed meritis celsus ; in humilitatis conversatione, in charitatis ubertate, in castitatis lumine, in jejuniorum pinguedine, ita se totum cælesti tradidit disciplinæ, ut ab ipsa infantia maturus accederet. Hic itaque veneran-

dis operibus pænè priùs sacerdos quàm clericus, jamdudum dignus qui susciperet dignitatem, Lector effectus est, deinde Subdiaconus. Qui cùm subdiaconali ministerio fungeretur in die Epiphaniorum, hauriens aquam de fluvio Sequanæ, dum beato Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis vini sapor inventus est. Quo viso obstupescens Pontifex, jussit ex ipso urceo in calicem sacrum fundi, unde universus populus, Missâ celebratâ, ad Communionem accepit ; et ipsum vas, cùm ad plebis multitudinem suffecisset, plenum permansit. Cujus vini mystico beneficio postea multi infirmi sanati sunt. Cùm autem quâdam vice ex sui officii servitute aquam manibus venerabili Episcopo porrexisset ; mox inde balsama cœperunt fragrare, ut pæne Pontifex crederet suas manus magis ungere quàm lavare, et alteras aquas quæreret ut priores ablueret. Porrò autem cùm esset Pontifex ordinatus, quam dignitatem sibi reputabat magis oneris quam honoris ; tunc quidam de populo dum vellet ad Communionem accedere, manibus retrò ligatis non poterat ad aftare pertingere ; sed cùm omnes transirent, quasi meta cœpit stare. Quem conspiciens Pontifex, interrogavit quid fecerit. Respondit se pecasse. Cujus confessionem agnoscens, dixit ei : Veni, accede, et ultrà non pecces. Quâ jussione absolutus, ad Communionem accessit. Quanta huic erat in sanctæ Trinitatis æqualitate fiducia, cujus mens sic libera, per singula verba proferebat miracula ! Exequamur et illud triumphale mysterium : Matrona quædam nobilis quæ conjugi integritatem non servavit in mundo, integra non meruit jacere in sepulcro : nam serpens qui viventem in crimine traxerat, adhuc in cadaver desæviebat ; quo perterriti homines de suis sedibus migraverunt. Hoc cognito Marcellus, collectâ plebe, de civitate progreditur ; et relictis civibus, in prospectu populi solus ad locum accessit : et cùm coluber de silva rediret ad tumulum ; Marcellus caput ejus baculo ter percutiens, misso in cervicem serpentis orario, triumphum suum antè civium oculos extrahebat. Tunc præcedente Pontifice, bestiam ferè tribus millibus omnes prosecuti sunt Mox dimissâ belluâ, nulla ejus ulteriùs indicia sunt inventa. His operibus Marcellus intentus, conversatione clarus, consummatione præcipuus, migravit ad Christum die Calendarum Novembrium.

Ad Tertiam.

Antiph. Accepit stolam gloriæ, et vestitus est in consummationem virtutis.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Sextam.

Antiph. Amplificavit oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, et libavit de sanguine uvæ.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Nonam.

Antiph. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

℣. Tu es sacerdos in æternum,

℟. Secundùm ordinem Melchisedech.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Manus suos extulit in omnem congregationem filiorum Dei; dare gloriam Deo à labiis suis, et in nomine ipsius gloriari.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

℣. Posui adjutorium super potentem:

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Ad Magnificat Antiph. O Parisiorum decus, Marcelle, Confessor Christi, succurre nobis miseris in tremendi adventu judicis.

Fit commemoratio S. Caroli Episcopi.

Antiph. Elegit ipsum Dominus ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem pro populo suo.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio. Ecclesiam. *ut in Festo sequente.*

Die iv.

In Festo

S. Caroli Borromæi Episcopi.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, (xij.) ⟨527⟩ *præter Orationem.*

Oratio.

Ecclesiam tuam, Domine, beati Caroli Confessoris tui atque Pontificis continuâ protectione custodi; ut sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes: Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes fit commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Antiph. Te gloriosus. *ut infra Octavam Omnium Sanctorum.* 347. ⟨495⟩.

℣. Exultabunt. *ibidem.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus. 348. ⟨495⟩.

Deinde fit commemoratio S. Clari Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Carolus, Mediolani Gilberto Borromæo et Margaretâ Medicæâ natus est anno millesimo quingentesimo tricesimo octavo. A puero clericali militiæ ascriptus, patrem admonuit ne redditus ecclesiasticos, quibus potiebatur, in rem familiarem converteret; quorum ipse nactus administrationem, quicquid su-

pererat expendebat in pauperes. Adolescens liberalibus disciplinis Papiæ operam dedit. Vicesimum tertium ætatis annum agens, à Pio quarto, avunculo suo, in sacrum Cardinalium collegium cooptatus, commissa sibi gravissima Ecclesiæ negotia summâ fide ac religione administravit. Mediolanensis deinde Archiepiscopus creatus, plurimam operam adhibuit, ut secundùm Tridentinum Concilium, quod ejus potissimùm sollicitudine jam tum fuerat absolutum, Ecclesiam sibi commissam componeret; atque ut ecclesiasticam disciplinam restitueret, multas tum diœcesanas, tum provinciales synodos coëgit. E diœcesi discessit numquam, nisi coactus, aut concedente Apostolicâ Sede, aut seniore provinciæ Episcopo approbante. In profligandis hæreticis è partibus Rætorum et Helvetiorum, quorum plurimos ad fidem convertit, maximè laboravit. Ejus charitas tùm præcipuè enituit, cùm Uritano Principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia unâ die in pauperes erogavit: nec minori pietate viginti millia, quæ sibi fuerant legata, distribuit. Ecclesiasticos proventus, dignitates, et munera, quibus ab avunculo copiosè fuerat cumulatus, dimisit. Quo tempore pestis Mediolani grassabatur, domesticam supellectilem, ne sibi quidem servato lectulo, in pauperes alendos contulit, super nudâ deinceps tabulâ decumbens; eoque morbo laborantes, non in civitate modò, sed et in reliqua diœcesi, diu noctuque invisebat spiritualia iis et temporalia administrans; de alendis præcipuè orphanis adeò sollicitus, ut ex his unum ex uberibus mortuæ matris pendentem suis ipse manibus eripere veritus non fuerit. Humillimis interim precibus reconciliator accedens, publicâ supplicatione indictâ, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam ex offendiculo cruentatis, crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat. Ecclesiasticæ libertatis acerrimus propugnator fuit. Disciplinæ regularis inter Monachos instaurandæ intentus, cùm ex more aliquando in privato Oratorio vespere cum familiâ oraret, à perditissimo quodam Monacho è congregatione Humiliatorum sclopo percussus, divinâ virtute servatus est. Vitam duxit asperrimum, corpus domans flagellis, cilicio, vigiliis, ac jejuniis; pane tantum et aquâ, solis quandoque lupinis, contentus. Orationem ac verbi Dei prædicationem, gravissimis licèt curis occupatus, numquam intermisit. Multas Ecclesias, Monasteria, Seminaria, Collegia ædificavit. Plura scripsit ad Episcoporum præsertim instructionem utilissima; ejusque operâ Parochorum Catechismus prodiit. Demùm in solitudinem Varalli montis, ubi sculptæ imagines Dominicæ Passionis mysteria exprimunt, secessit; ibique diebus aliquot voluntariâ castigatione duram, sed suavem ex Christi dolorum meditatione, vitam agens, in febrim incidit. Mediolanum reversus, ingrave-

scente morbo, cinere ac cilicio coopertus, et oculis in Crucifixi imaginem defixis, migravit in cælum, anno ætatis quadragesimo sexto, Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto. Quem miraculis conspicuum, Paulus quintus in sanctorum numerum retulit.

Infra Octavam Omnium Sanctorum.

Semiduplex.

Officium fit ut in Communi per annum, (115.) ⟨13⟩, *exceptis iis quæ sequuntur.*

Ad Matutinum.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo Omnium Sanctorum. 325. ⟨477⟩.

Antiph. Hi sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus ; et qui sedet in throno, habitat super illos.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi :

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis : visi sunt oculis insipientium mori ; illi autem sunt in pace.

Hymnus. Omnis dum resonat. *ut in Festo Omnium Sanctorum.* 333. ⟨483⟩.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus Antiph. Te gloriosus Apostolorum chorus, te Prophetarum laudabilis numerus, te Martyrum candidatus laudat exercitus ; te omnes sancti et electi voce confitentur unanimes, beata Trinitas unus Deus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub unâ tribuisti celebritate venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum.

Ad Tertiam.

Antiph. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi :

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Sextam.

Antiph. Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione ; et fecisti nos Deo nostro regnum.

℣. Exultent justi in conspectu Dei :

℟. Et delectentur in lætitia.

AD NONAM.

Antiph. Benedicite Dominum omnes electi ejus; agite dies lætitiæ, et confitemini illi.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

AD VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti sibi: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Hymnus. Cælo. *ut in Festo Omnium Sanctorum.* 324. ⟨475⟩.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnificat Antiph. O quàm gloriosum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit.

DOMINICA INFRA OCTAVAM OMNIUM SS.

Semiduplex.

Ab Hymno primarum Vesperarum Officium fit de Dominica occurrente, ut in Communi per annum.

Ad Laudes fit commemoratio Omnium Sanctorum.

Antiph. Te gloriosus. 347. ⟨495⟩.

℣. Exultabunt. *ibidem.*

Oratio. Omnipotens. 348. ⟨495⟩.

DIE V.

DE OCTAVA OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio infra Octavam. 347. ⟨495⟩.

DIE VI.

DE OCTAVA OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio infrà Octavam. 347. ⟨495⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Leonardi Confessoris.

Antiph. Domine quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas:

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

QUæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut intercedente beato Leonardo Confessore tuo, à peccatorum vinculis absoluti liberis tibi mentibus serviamus: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

LEonardus, illustri ortus genere, à Clodoveo Magno è sacro fonte susceptus, in disciplinam sancti Remigii se tradidit. A Rege in aulam accitus, solitariam vitam oblatis honoribus et dignitatibus ecclesiasticis anteposuit. Aurelianos itaque profectus, apud Maximinum Abbatem sanctitatis famâ tum celebrem aliquandiu unâ cum fratre Lifardo est commoratus. Inde ambo egressi, Lifardus quidem Magdunum, ipse verò divinâ revelatione admonitus, in agrum Lemovicensem se contulit; ubi extructo monasterio, multos ex cognatis et famili-

aribus ad idem vitæ iustitutum adduxit. Demùm piis operibus, ac præcipuè summâ in captivis liberandis virtute clarus, ex hâc vitâ in cælestem migravit. Ad ejus sepulcrum plurima edita sunt miracula.

Die vii.

De Octava Omnium Sanctorum.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio infrà Octavam. 347. ⟨495⟩.

Die viii.

In Octava Omnium Sanctorum.

Duplex minus.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Fulgebunt recti sicut sol in domo patris eorum.

Hymnus, Versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio. ut in primis Vesperis Festi. 324. ⟨475⟩.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Ad Matutinum et Cæteras Horas.

Omnia ut in Officio infrà Octavam. 347. ⟨495⟩.

Ad Laudes fit commemoratio SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.

Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia:

℟. Et meruerunt habere coronas perpetuas.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

Severus, Severianus, Carpophorus, et Victorinus, fratres, in persecutione Diocletiani, deorum cultum liberè detestantes, plumbatis cæsi, in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quorum corpora canibus objecta, cùm ab illis intacta diù fuissent; sublata à Christianis, viâ Lavicanâ tertio ab Urbe lapide, in arenariâ sepulta sunt propè sepulcrum sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Semproniani, Castorii, et Simplicii; qui eodem Imperatore passi erant, quòd, cùm essent peritissimi artifices, nullo modo adduci potuerant ut idolorum statuas sculperent; et ad Solis simulacrum ducti ut illud venerarentur, numquam commisuros se dixerant, ut adorarent opera manuum hominum. Quamobrem in carcerem detrusi, cùm ibi multos dies in eodem proposito perstitissent; primùm scorpionibus cæsi, deinde vivi plumbeis loculis inclusi, in flumen conjecti fuerant sexto Idus Novembris. Extat Romæ Ecclesia sub nomine sanctorum Quatuor Coronatorum in quâ

novem horum Martyrum corpora translata sunt.

Ad secundas Vesperas fit com⟨me⟩moratio S. Maturini Confessoris.

Antiph. Similabo. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.* xv. ⟨530⟩.

℣. Justus. xiv. ⟨530⟩.

Oratio. Adesto. xv. ⟨530⟩.

Die ix.

In Festo

Sancti Maturini Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. xv. ⟨530⟩.

Oratio. Adesto. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio S. Theodori Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

Annue, quæsumus, omnipotens Deus, intercedente beato Theodoro Martyre tuo, ut sicut copiosa ei victoria dedit triumphum, ita et nobis continuum præstat, te largiente, auxilium : Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Lectio.

De S. Theodoro.

Ex Oratione sancti Gregorii Nysseni in magnum Martyrem Theodorum.

Cum duces militum hîc in hibernis copias collocassent, Theodorus cum ea legione in quam ascriptus erat, ad nostram regionem transivit. Bello autem contra Deum moto, Præses et Tribunus servum Crucifixi ad judicium sistunt ; ac, Dic, inquiunt, cur non adoras, sicut plaet Imperatoribus. Maximianus enim cum consorte tunc Imperium tenebat. Tum ille : Deos quidem nescio ; mihi verò Deus est Christus Dei unigenitus : pro confessione istius, qui vulnerat, incîdat ; et qui verberat, laceret ; et qui cremat, flammam admoveat ; et qui his vocibus meis offenditur, linguam eximat : per singula enim membra corpus Creatori patientiam debet. Exiguum, inquiunt, insanienti tempus concedatur. Matri deûm templum erat in metropoli Amasea : hoc ille incendit in tempore datæ sibi securitatis. Tum Magistratus impiissimum adversùs deos eum vocantes, et in Imperatores contumeliosum, primùm quidem in ligno suspensum lacerabant : is verò tormentis accinebat, Benedicam Dominum in omni tempore. Hoc modo punitum carcer excepit ; ubi noctu vox psallentium audiebatur, et facum splendor ab iis qui foris erant, conspiciebatur. Demùm igni consummari jussus, beato itinere abiit ad Deum.

Ad Vesperas fit commemoratio S. Martini Papæ et Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *ut in Communi unius Martyris.* vj. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ. *ibidem.*

Oratio. Infirmitatem. *ibidem.*

DIE X.

In Festo

S. MARTINI PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, vj. ⟨522⟩.

Oratio. Infirmitatem. *ibidem.*

AD PRIMAM.

Lectio.

MArtinus, Theodoro in sede Romanâ successit anno Christi sexcentesimo quadragesimo nono. Eodem anno Concilium centum et quinque Episcoporum in Laterano coëgit, in quo Monothelitarum principes Theodorus Pharanitanus, Cyrus, Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus ejusque successores Pyrrhus et Paulus, qui in duabus Christi naturis unicam voluntatem et operationem admittebant, damnati sunt; proscriptaque duo Imperatorum de hâc quæstione edicta, Ecthesis videlicet Heraclii, et Typus Constantis. Quid in ea Synodo gestum esset, omnes Ecclesias per Epistolam encyclicam admonuit; ejusque acta ad sanctum Amandum Trajectensem Episcopum misit, eum hortatus, ut ipsius operâ, et Episcopi Galliæ in Synodo congregati suo illa consensu confirmarent, et à Sigeberto Francorum in Austrasia Rege mitterentur in Urbem Episcopi, qui Legatione Apostolicâ fungentes eadem acta ad Constantem Imperatorem deferrent. Interim Constans, ut suo typo ab omnibus subscriberetur, silentiumque in eo de quæstione Catholicos inter et Monothelitas agitatâ indictum observaretur, primùm Olympium Exarchum Ravennatem Romam misit, tum Calliopam Olympii successorem, à quo Martinus, cùm edicto impio juxtà Lateranense Concilium resisteret, Româ vi abductus est, ac in insulam Naxum deportatus. Ibi annum egit gravi morbo laborans, omnique ope ac solatio destitutus. Inde ductus Constantinopolim, illicque tres menses in carcere detentus, coram judice sistitur: apud quem multis criminibus cùm falso accusatus fuisset; vestibus exutus, discissâ tunicâ per urbem ignominiosè traductus iterùm in carcerem traditur, eâ vi ut gradûs carceris ejus sanguine conspergerentur. Hinc post tres menses, Chersonam relegatus est: quò cùm pervenisset decimâ quintâ die Maii anno sexcentesimo quinquagesimo quinto; quatuor post menses, scilicet decimâ sextâ Septembris, ærumnis confectus, cessit è vita, ante et post mortem clarus miraculis. Refert enim sanctus Audoënus Rotomagensis ejus coætaneus, eum, dum Constantinopoli degeret, visum cæco restituisse. Gregorius verò secundus Papa, Leoni Isaurico Imperatori scribens, testatur Septentrionis incolas ad ejus tumulum confugientes, morborum curationes sæpiùs esse expertos. Corpus ejus postea Romam delatum in Ecclesiâ sancti Martini in Montibus, Turonensis Episcopi nomine dedicatâ, conditum est. Exul

scripsit duas epistolas de calamitatibus suis.

DIE XI.

In Festo

S. MARTINI EPISCOPI.

Duplex majus.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Suscitavit sibi Dominus Sacerdotem fidelem, qui juxta cor suum et animam suam faceret.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Confessoris Pontificis.* xj. ⟨526⟩.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum :

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat Antiph. Martinus verè Christi discipulus gestabat operantem in se Christum ; qui sanctum suum glorificans, diversarum munera gratiarum in unum hominem conferebat.

Oratio.

DEus qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, ut intercessione beati Martini Confessoris tui atque Pontificis contrà adversa omnia muniamur : Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessorum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

Antiph. Martinus adhuc cathecumenus hâc me veste contexit.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, alleluia, alleluia.

Hymnus. Jesu sacerdotum decus. *ut in Communi Pontificum.* xij. ⟨527⟩.

℣. Posui adjutorium super potentem :

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Ad Benedictus Antiph. O beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum regem, et non formidabat imperii principatum ! ô sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

AD PRIMAM.

Antiph. Dixerunt discipuli ad beatum Martinum : Cur nos, pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis ? invadent enim gregem tuum lupi rapaces.

Lectio.

MArtinus, Sabariæ in Pannonia, patre Tribuno militum natus, Papiæ verò in Italia educatus, anno ætatis decimo invitis parentibus ad Ecclesiam confugiens, inter catechumenos nomen dedit. Ascriptus militiæ ex Imperatorum edicto, quo veteranorum filii sua nomina

profiteri cogebantur, sub Constantio meruit. Ambianis, ad portam urbis, pauperi nudo eleemosynam petenti, cùm nihil haberet præter arma et vestimentum, partem chlamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiatâ illâ veste indutus apparuit, circumstantes Angelos sic allocutus; Martinus adhuc catechumenus hâc me veste contexit. Cùm annum decimum octavum attigisset, baptizatus est; ac relictâ militiâ sanctum Hilarium Pictavensem adiit, à quo Exorcista factus est, cùm priùs Diaconi ordinem præ humilitate recusasset: nec multò pòst ad suos reversus, matrem ad Christum convertit. Ab Episcopis Arianis, quòd solus pænè eorum perfidiam frangeret, publicè virgis cæsus, Illyrico pulsus est. Eâdem de causâ, Mediolano, ubi monasterium sibi construxerat, per Auxentium ejectus, sedem fixit Pictavis; ibique sub Hilario, in cœnobio à se ædificato, Monachis præfuit. Turonensis Episcopus ordinatus, secundo ab urbe lapide monasterium condidit, in quo discipulos octoginta nihil proprium habentes congregavit; ex quibus plures postea Episcopi creati sunt. Non procul ab eo loco altare diruit, quod falsò putabatur erectum in memoriam Martyris. Idolorum fana dejecit, et lucos succîdit, non veritus aliquando vitæ adire discrimen ut eorum cultum penitùs aboleret. Ad comitatum ob maxima negotia ire coactus, à Valentiniano repulsam passus est; qui tamen, septimo pòst die, redeunti Martino, è solio divinitùs excussus, assurrexit, ejusque postulatis annuit. Ithacium Episcopum acriter reprehendit, quòd contra leges ecclesiasticas Priscillianum in causa capitis insectaretur. Treviros profectus ut apud Maximum Imperatorem gravibus de causis ac præcipuè pro duorum nobiliorum virorum salute ageret, cùm nihil impetrare potuisset nisi antè promitteret se cum Episcopis Ithacianæ partis in comitatu degentibus communicaturum; id facturum se pollicitus est, si his pro quibus rogaverat, parceretur, dummodo etiam Tribuni, quos in cædem Priscillianistarum ad Hispanias jam missos acceperat, revocarentur. Quare congregatis iis ad ordinationem Felicis Episcopi, ingressus Synodum, illorum communionem aliquatenùs iniit, satiùs existimans ad horam cedere quàm his non consulere quorum cervicibus gladius imminebat: nec tamen adduci potuit, ut communionem illam subscriptione firmaret. Exinde facti pœnitens, cavit ne in posterum Ithacianæ communionis particeps fieret. Cumque energumenos tardiùs quàm solebat et gratiâ minore curaret; subinde discipulis cum lacrymis fatebatur, se, propter communionis illius malum, detrimentum sentire virtutis. Sexdecim postea vixit annos, quibus ab omni Episcoporum conventu abstinuit. Injuriarum fuit patientissimus, adeò ut impunè vel ab infirmis† clericis læderetur, ac plerumque sibi obtrectantium peccata defleret. Quodam in convivio pater-

am Presbytero prius porrexit quàm Imperatori, à quo honoris gratiâ, ut prior biberet, acceperat. Innumeris miraculis claruit. Treviris paralyticam pænè exanimem oleo à se benedicto sanavit: Parisiis, ad portam urbis, leprosum osculo mundavit: proprii corporis obice flammas aliquando repressit: tres mortuos suscitavit. Annis demùm gravis, dum Condatensis vici Ecclesiam in sua diœcesi visitaret, viribus defectum se sentiens, mortem sibi imminere discipulis indicavit. Ingravescente febre, in cinere et cilicio decumbens, ne vile quidem stramen sibi subjici passus est. Rogatus à Presbyteris ut corpus in alterum latus reclinando sublevaret, Sinite me, inquit, cælum potiùs respicere quàm terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Instante jam morte, viso dæmone, Quid hîc astas, inquit, cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies; Abrahæ me sinus recipit. Eâ in voce unum et octoginta annos natus, animam Deo reddidit, quam excepit Angelorum chorus; eosque divinas laudes occinentes sanctus Severinus Coloniensis Episcopus audivit.

Ad Tertiam.

Antiph. Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Sextam.

Antiph. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Nonam.

Antiph. Oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat.

℣. Tu es sacerdos in æternum,

℟. Secundùm ordinem Melchisedech.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Sinite me cælum potiùs quam terram respicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in Communi Pontificum.* xj. ⟨526⟩.

℣. Posui adjutorium super potentem:

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Ad Magnificat Antiph. O beatum virum, cujus anima paradisum possidet! unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat, Mane nobiscum in æternum.

Infra Octavam S. Martini.

Simplex.

Officium fit ut in ipso Festo, nisi quòd Lectio omittitur ad Primam.

DOMINICA infrà Octavam, Officium fit de Dominica occurrente.

Ad Laudes fit commemoratio S. Martini.

Antiph. O beatum Pontificem. 353. ⟨500⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Deus qui conspicis. *ibidem.*

Eodem modo fiet Officium, si Dominica in ipsam diem Octavam inciderit.

Die xii.

De Octava S. Martini.

Simplex.

Officium fit ut in ipso Festo. 353. ⟨500⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Mennæ Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Præsta, quæsumus. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

Mennas, Ægyptius, Christianus miles, in persecutione Diocletiani et Maximiani Imperatorum, cùm pœnitentiæ causâ in solitudinem secessisset; natali die Imperatorum, quo populus celebri spectaculo tenebatur, in theatrum prosiliens, liberà voce Gentilium superstitionem insectatus est. Quamobrem comprehensus, et à Pyrrho Præside in Metropoli Cotyensium Phrygiæ vinctus, loris crudeliter cæditur: deinde equuleo tortus, lampadibus ardentibus ad corpus admotis, plagisque cilicio confricatis; tum per tribulos et murices ferreos manibus ac pedibus colligatis tractus, plumbatis etiam contusus; demum gladio interficitur, et in ignem conjicitur. Corpus inde à Christianis ereptum, honorificè sepultum est; ac postea Constantinopolim translatum.

Die xiii.

In Festo

S. Gendulfi Episcopi.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Pontificum. xj. ⟨526⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio Octavæ S. Martini.

Antiph. O beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum regem, et non formidabat imperii principatum! ô sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

Deus qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, ut intercessione beati Martini Confessoris tui atque Pontificis contrà adversa omnia muniamur: Per Christum Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio sancti Brictii Episcopi.

Antiph. Dedit illi Dominus sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.

℣. Tu es sacerdos in æternum,
℟. Secundùm ordinem Melchisedech.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Brictii Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem: Per Dominum nostrum etc.

DIE XIV.

DE OCTAVA S. MARTINI.

Simplex.

Officium fit ut in ipso Festo. 353. ⟨500⟩.

DIE XV.

DE OCTAVA S. MARTINI.

Simplex.

Officium fit ut in ipso Festo. 353. ⟨500⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Eugenii Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit:
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

DEus qui nos beati Eugenii Martyris tui confessione gloriosâ circumdas et protegis, præsta nobis, quæsumus, ejus interventione gaudere et oratione fulciri: Per Christum Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio sancti Maclovii Episcopi.

Antiph. Euge serve bone et fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,
℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oratio.

EXaudi, quæsumus, Domine preces nostras, quas in beati Maclovii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferrimus; et qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis: Per Dominum nostrum etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

EUgenius, claro genere ortus, Româ in Gallias venit una cum sanctis Regulo, Quintino, Piato, aliisque octo sociis: cumque in Parisiensi pago Evangelium Christi prædicasset; ibi consummato cursu, Martyrii palman consecutus est.

DIE XVI.

DE OCTAVA S. MARTINI.

Simplex.

Officium fit ut in ipso Festo. 353. ⟨500⟩.

DIE XVII.

In Festo

S. ANIANI EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xj. ⟨526⟩.

Oratio. Exaudi. *ibidem.*

Ad Laudes fit commemoratio Octavæ S. Martini.

Antiph. O beatum Pontificem. *ut in Festo S. Gendulfi.* 357. ⟨503⟩.

℣. Amavit. *ibidem.*

Oratio. Deus qui conspicis. *ibidem.*

Ad Primam.

Lectio.

ANianus, extrà Viennæ muros cellâ conclusus, multis annis Christo fideliter servivit. Auditâ Evurtii Aurelianensis famâ, sanctum adiit Episcopum, ut in ejus se disciplinam traderet; à quo factus Presbyter, tum Monasterii sancti Laurentii Abbas, postea successor in Episcopatu est designatus. Cùm autem de ejus electione ageretur post indictum tridui jejunium, et trium, qui postulabantur, nomina singulis essent inscripta chartulis; admotus ab Evurtio adhuc superstite infans, cui necdum usus loquendi erat, selectâ chartulâ in quâ scriptum erat Aniani nomen, eum ter clarâ voce pronuntiavit Episcopum. Urbem ingressurus, ab Agrippino Comite petiit ut captivos liberaret; nec impetravit. Sed mox lapsu lapidis læsus graviter Agrippinus, et à beato Aniano sanatus, quod antè negaverat, id concessit. Dum altius basilicæ culmen ædificaretur, artificem graviore lapsu contritum, signo Crucis reddidit sanitati. Invadente Gallias Rege Hunnorum Attilâ, Arelatem, auxilium ab Aëtio Magistro militiæ postulaturus, se contulit; et in ipso itinere hospitem suum Mamercum morti jam vicinum sanavit. Cùm igitur Attila, ut refert Gregorius Turonensis, à Metensi urbe egressus Aurelianos oppugnaret; beatus Pontifex divino fretus auxilio supplicationes indixit. Quibus vix peractis, Aëtius, et Theodoricus Gothorum Rex, ac Torismundus filius ejus, cum copiis suis accedunt, et Attilam in fugam vertunt. Biennio post, plenus operibus bonis, obdormivit in Domino, anno salutis quadringentesimo quinquagesimo tertio. Corpus ejus in basilica sancti Laurentii sepultum, deinde intra urbem in Ecclesiam sub ejus nomine constructam translatum est.

Ad secundas Vesperas ab Hymno fit Officium de Festo sequente.

Die xviii.

De Octava S. Martini.

Semiduplex.

Officium fit ut in ipso Festo. 353. ⟨500⟩.

Ad primas Vesperas fit commemoratio S. Aniani.

Antiph. Dedit illi. *ut in Communi Confessoris Pontificis.* xiij. ⟨529⟩.

℣. Posui. *ibidem.*

Oratio. Exaudi. xj. ⟨527⟩.

Ad Primam.

Lectio.

De Sermone sancti Bernardi Abbatis.

Serm. de exemplis obedientiæ.

UT pauca virtutum Martini indicia promam; pauperem illum spiritu beatus novit Hilarius, cùm imponere ei Diaconatûs officium tentans, nec prævalens, quòd indignum sese vociferaretur, Exorcistam eum esse præcepit (in quo quidem locus injuriæ videretur) sciens nimirùm

quòd humiliorem ordinationem minime repudiaret. Pauper fuit, veste sordidus, crinè incultus, facie despicabilis : quæ quidem licet in electione ejus à quibusdam malevolis objecta fuissent ; in ipso tamen Episcopatu, ut scriptum est, non mutavit. Denique quia verè pauper spiritu fuit Martinus, pauper et modicus meruit nominari. Audi verò mansuetudinem ejus, suo illo Sulpitio sic scribente : Tantam adversùs omnes injurias patientiam assumpserat, ut cùm esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis læderetur, nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut à suâ, quantum in ipso fuit, charitate repulerit. Quod quidem in Brictio manifestè probatum est. Eum nempè ex omnibus sibi successorem elegit, et de tantâ pòst futurâ adversitate præmonuit, postremò in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, ad cujus os aures suæ fuerant, cùm responderet homini qui de eo sciscitabatur : Si illum delirum quæris, prospice eminùs ; ecce cælum solito sicut amens respicit. Crebro siquidem homo Dei, utpote terram despiciens, cælum suspiciebat. Sanè quantùm justitiam esurierit tum in cæteris ejus actibus, tum specialiter in idololatriæ persecutione probatum est, in templorum destructione, in statutarum dejectione, in succisione lucorum : ubi se quoque aliquando non est veritus dare discrimini, ut occasio tanti criminis de medio tolleretur. Nam misericordem eum in paupere se expertum Salvator ipse apud Angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans.

Porrò munditiam cordis ejus illud vel maximè indicat, quòd non est confusus inimico loquens in porta : Nihil in me funeste, reperies ; Abrahæ sinus me recipiet. Nam in opere pacificorum feliciter planè consummans labores suos, licèt dierum suorum finem non ignoraret, Clericos tamen adiit dissidentes, inter quos reformatâ pace, in pace ipse quievit. Cæterùm persecutiones quas sustinuit propter justitiam, longum est enumerare ; quomodo apud Julianum Augustum in civitate Vangionum, intrepidus, immò et illato terrore constantior, custodiæ mancipatus est, ut inermis postero die barbaris opponeretur ; quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit ; quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter insectatus, multis appetitum injuriis tandem de civitate exturbavit ; quomodò et alibi priùs adversùs sacerdotum perfidias acerrimè pugnans, suppliciis fuit affectus, publicè virgis cæsus, inde quoque exire compulsus ; quomodo item in cujusdam fani eversione, cùm gentilis eum stricto gladio peteret, nudam cervicem præbuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus ; quomodo eum alter cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus ejus elapsum repentè disparuit.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio S. Elizabeth Viduæ.

Antiph. Simile est. *ut in Communi Mulierum sanctarum.* xx. ⟨534⟩.
℣. Mandata. *ibidem.*
Oratio. Tuorum. *ibidem.*

DIE XIX.

In Festo

S. ELIZABETH VIDUÆ.

Simplex.

Omnia de Communi Mulierum sanctarum. xx. ⟨534⟩.
Oratio. Tuorum. *ibidem.*

AD PRIMAM.

Lectio.

ELizabeth, Andreæ Hungarorum Regis filia, in aulam Hermanni Toringiæ Lantgravii, cujus filio Ludovico lactens adhuc desponsa fuerat, quadrima adducta, ibique educata, magna dedit futuræ specimina sanctitatis. Spreto sæculi fastu, relictoque aulicorum consortio, egenis sublevandis totam se dedit; eâque vitæ ratione in Procerum contemptum incurrit: qui tamen ab eâ ducendâ, cùm nubilis facta esset, Ludovicum deterrere non potuerunt. Tres ex ea liberos, Hermannum scilicet, duasque filias, suscepit Ludovicus. Nihil illo in conjugio de pristino fervore remittens, absente viro in magnâ annonæ inopiâ omne ditionis suæ frumentum pauperibus distribuit: quorum etiam infirmitatibus consulens, nosocomium illis ad radicem montis, in cujus vertice situm erat palatium, extruxit. Ex Apulia redux Ludovicus conjugis pietatem summopere laudavit: cumque deinde, cruce signatus, in Orientem proficisceretur, in itinere diem extremum obiit. Tum qui fratri ejus Henrico nondum ad regendum idoneo à consiliis erant, Elisabeth contumeliosè habitam, ac bonis spoliatam, aulâ excedere coegerunt. Jussit tamen Henricus eam in dignitates facultatesque suas restitui: sed ipsa brevi posteà, ne plebi oneri esse videretur, relictâ aulâ, pristinam paupertatem amplexa est; ab aulicis iterum spreta, laudata verò a Gregorio nono, qui et eam in Apostolicæ Sedis tutelam recepit. Ea autem majoris paupertatis desiderio flagrans, in quodam fratrum Minorum sacello, die sancto Parasceves, positis super nudum altare manibus, solemni professione, sæculi pompis, cognatis ac sibiipsi renuntiavit. Facultates autem, quas jussu Magistri Corradi, quem ei Papa præfecerat, retinuit, pauperum necessitatibus sublevandis impendens, victum lanificio comparans, mirâ humilitate ac patientiâ reliquum vitæ curriculum egit, absolvitque, anno millesimo ducentesimo tricesimo primo, ætatis vicesimo quarto. Eam post triennium idem Gregorius Sanctis ascripsit.

DIE XXI.

In Festo

PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex minus.

Omnia ut in Officio beatæ Mariæ in Sabbato per annum.

(xxv.) ⟨539⟩, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Hymnus. O quàm glorificâ. *ut in Officio beatæ Mariæ in sabbato.* xxvj. ⟨539⟩.

℣. Ave Maria, gratiâ plena:

℟. Dominus tecum.

Ad Magnificat Antiph. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Oratio.

DEus qui beatam Mariam semper Virginem, Spiritûs sancti habitaculum, hodiernâ die in templo præsentari voluisti, præsta, quæsumus, ut ejus intercessione in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Jesum Mariæ filium, venite, adoremus.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Fit commemoratio S. Columbani Abbatis.

Antiph. Domine. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Concede. xv. ⟨530⟩.

Ad Primam.

Lectio.

De sancto Columbano.

COlumbanus, Hibernus, adhuc adolescens psalmos exposuit, multaque de divinâ psalmodiâ et pietate Christianâ utiliter scripsit. Cùm per plures annos vitam monasticam in cœnobio Bancorensi sub Commogelio Abbate egisset, venit in Gallias. Ibi acceptâ à Sigeberto Rege licentiâ, Luxoviense monasterium in Burgundia extruxit, quo tanta Monachorum confluxit multitudo, ut succedentibus vicissim sibi choris, in decantandis Dei laudibus dies noctibus continuarentur. Ædificato postea Fontanensi cœnobio, Regulam monasticam primus Francis tradidit. Luxovio pulsum à Theodeberto Rege quòd dissolutos ejus mores liberè argueret, Clotarius humaniter excepit; cui prædixit Columbanus post tres annos futurum ut Theodeberti ac Theodorici regna ditioni ejus accederent. Parisiis, ad portam urbis, energumenum ab immundo spiritu liberavit. In Italiam profectus, Mediolani Arianos voce et scriptis expugnavit; et in eâ regione Bobiense Monasterium erexit, ubi anno vertente feliciter mortuus est.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Egredietur virga de radice Jesse; et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Hymnus. O quàm glorificâ. *ut*

in Officio beatæ Mariæ in sabbato. xxvj. ⟨539⟩.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat Antiph. Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Fit commemoratio S. Cæciliæ Virginis et Martyris.

Antiph. Est secretum, Valeriane, quod tibi volo dicere: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam:

℟. Habitare eam facit in tabernaculo suo.

Oratio. Deus qui nos annuâ. *ut in Festo sequente.* 364. ⟨*infra*⟩.

Die xxii.

In Festo

S. Cæciliæ Virginis et Martyris.

Semiduplex.

Ad Matutinum.

Invitatorium et Hymnus ut in Communi Virginum. xviij. ⟨533⟩.

Antiph. Hæc est virgo sapiens, quæ accepta lampade sumpsit oleum secum et exivit obviam sponso.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo:

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Veniente sponso ornavit lampadem suam, et intravit cum eo ad nuptias.

Hymnus. Non vana. *ut in Communi Virginum.* xviij. ⟨533⟩.

℣. Adducentur Regi virgines post eam:

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Ad Benedictus Antiph. Dum aurora finem daret, Cæcilia dixit: Eia milites Christi, abjicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis.

Oratio.

DEus qui nos annuâ beatæ Cæciliæ Virginis et Martyris tuæ solemnitate lætificas, da ut cujus natalitia colimus, virtutem quoquê passionis imitemur: Per Dominum nostrum etc.

Ad Primam.

Antiph. Cæcilia virgo semper Evangelium Christi gerebat in pectore suo, et diebus ac noctibus à colloquiis divinis et oratione non cessabat.

Lectio.

CÆcilia, virgo Romana, sponsum suum Valerianum fratremque ejus Tiburtium ad Christum adduxit, et fidei documentis instructos ad martyrium cohortata est, quod fortiter perpessi sunt Almachio Præfecto. Hic comprehensam Cæciliam cùm in fide constantem animadverteret, domi inclusam in balneo jussit præfocari: cumque per diem integrum illæsa perman-

sisset; Almachius eò carnificem misit, qui, cùm ter repetito ictu caput ejus abscindere non potuisset, semivivam reliquit. Tribus illa, quibus supervixit, diebus non cessavit turbas, quæ per ipsam crediderant, in fide confirmare. Quibus expletis, decimo calendas Decembres, duplici, virginitatis et martyrii, palmâ decorata, abiit in cælum. Corpus ejus in cœmiterio Prætextati extra Urbem viâ Appiâ sepultum est. Cùm autem rumor increbuisset sanctæ Virginis corpus, Astulfo Longobardorum Rege Romam obsidente, ab hostibus furto fuisse ablatum; Paschali Pontifici pro more vigilias celebranti, et ante Confessionem sancti Petri Dei laudes canenti, anno octingentesimo vigesimo primo Cæcilia apparuit, et quo in loco sepulta esset indicavit. Is, cùm sanctæ Martyris corpus in sepulcro aureis indumentis velatum, et ad ejus pedes linteamina ejusdem sanguine aspersa reperisset; illud magno cum honore intra muros transtulit in Ecclesiam, quam sub ejus nomine Gregorius Magnus extruxerat. Ibi Cæciliæ corpus, unà cum Sanctorum Valeriani, Tiburtii, et Maximi, Urbani quoque ac Lucii Pontificum corporibus, sub altari collocavit. Eam Ecclesiam Paulo Sfondrato Cardinale exornante, vetus excavatum foramen detectum est, pervium ad corpus sanctæ Martyris, per quod fideles sudariola solebant demittere, quæ è sepulcri contactu vim restituendæ sanitatis haurirent. Marmoreum itaque ibi monumentum inventum est; et in eo arca cypressina, penitùs illæsa, ductili clausa operculo, in qua sanctum jacebat Cæciliæ corpus, sericis pannis involutum, qui cùm essent depressi, situm corporis ostendebant. Serica quoque fila, auro intertexta, circa corpus ejus reperta sunt et ad pedes; vela sanguine madida: visumque est, non, ut assolet in sepulcro resupinum corpus; sed, ut in lecto, jacens supra dextrum latus, contractis nonnihil ad modestiam genibus. Tum Clemens octavus, die ipsâ sanctæ Martyri sacrâ, post oblatum ritu solemni Missæ sacrificium, ministerio Diaconorum adjutus, thecam argenteam detulit in Confessionem, in eâque cypressinam arcam, quæ venerandum Virginis corpus continebat, collocavit; et in lapideo monumento utramque ita simul compositam inclusit, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo nono.

Ad Tertiam.

Antiph. Cantantibus organis nuptiarum die, soli Deo in corde suo decantabat dicens: Fiat cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam:

℟. Habitare facit eam in tabernaculo suo.

Ad Sextam.

Antiph. Valerianus in cubiculo Cæciliam cum Angelo orantem invenit.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo:

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD NONAM.

Antiph. Benedico te, pater Domini mei Jesu Christi, quia per filium tuum ignis extinctus est à latere meo.

℣. Indumento justitiæ circumdedit eam Dominus,

℟. Quasi sponsam ornatam monilibus suis.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Triduo vivens semiamputato capite confirmabat turbas in fide Domini.

Ab Hymno fit Officium de Festo sequente.

DIE XXIII.

In Festo

S. CLEMENTIS, PAPÆ ET MARTYRIS.

Semiduplex.

AD PRIMAS VESPERAS.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

℣. Gloriâ et honore coronasti eum Domine:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Antiph. Clemens adjutor meus laboravit mecum in Evangelio, cujus nomen est in libro vitæ.

Oratio.

DEus qui in Sanctorum tuorum es virtute mirabilis, da nobis in beati Clementis annuâ solemnitate lætari, qui Filii tui Martyr et Pontifex, quod ministerio gessit, testimonio comprobavit, et quod prædicavit ore, confirmavit exemplo: Per eumdem Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio sanctæ Cæciliæ.

Antiph. Domine Jesu Christe, pastor bone, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæciliâ seminasti, alleluia.

℣. Adducentur Regi virgines post eam:

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio. Deus qui nos annuâ. *ut suprà.* 364. ⟨509⟩.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Martyrum Dominum, venite, adoremus.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in Communi unius Martyris.* v. ⟨522⟩.

Antiph. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Hymnus. Invicte Martyr. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus Antiph. Cùm iter ad mare cœpisset, populus voce magnâ clamabat, Domine

Jesu Christe salva illum; et Clemens cum lacrymis dicebat, Suscipe Pater spiritum meum.

Fit commemoratio S. Felicitatis Martyris.

Antiph. Date ei de fructu manuum suarum; et laudent eam in portis opera ejus.

℣. Mulier timens Dominum,

℟. Ipsa laudabitur.

Oratio.

MArtyris tuæ Felicitatis nos, Domine, confessio sancta communiat, et fragilitati nostræ continuum impetret subsidium: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Ad Primam.

Antiph. Cùm pervénit Clemens ad locum exilii, multos illic Christi Confessores relegatos invénit.

Lectio.

Ex libello sancti Adonis Episcopi, de festivitatibus Apostolorum. *Cap.* 27.

CLemens (de quo Apostolus Paulus ait, Cum Clemente et ceteris cooperatoribus meis quorum nomina sunt in libro vitæ) quartus post Petrum Romæ Episcopus (siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus) sub persecutione Trajani, trans Pontum mare, in eremo quod adjacet civitati Chersonæ, relegatur exilio. Ubi cùm per doctrinam ejus plures converterentur ad Dominum; paganis insistentibus, invidiosa relatio cucurrit ad Imperatorem Trajanum, quæ diceret ibi per Clementem Christianorum populum accrevisse. Qui misit ducem Aufidianum: qui cùm videret, multos Christianos occidens, fixum in omnibus beatum Clementem, et penitùs mutari non posse; jussit præcipitari eum in mari medio, ligatâ ei ad collum anchorâ: talique martyrio discipulus Petri coronatur. Nominis ejus memoriam usque hodie Romæ extructa Ecclesia custodit.

Sermo sancti Gregorii Papæ.

Homilia 3. *in Evang.*

Beata Felicitas, cujus hodie natalitia celebramus, septem filios, sicut in gestis ejus emendatioribus legitur, sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere ne mortuos præmittant. In persecutionibus enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roboravit: et parturivit spiritu, quos carne pepererat; ut prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Nunquid ergo hanc feminam Martyrem dixerim? sed plusquam martyrem; quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua ad pœnas prima venit, sed pervenit octava. Aspexit mater et cruciata et imperterrita filiorum mortem; spei gaudium adhibuit dolori naturæ. Timuit viventibus; gavisa est morientibus. Optavit nullum post se relinquere: ne, si quem haberet superstitem, non posset habere consortem.

AD TERTIAM.

Antiph. Non meis meritis ad vos me misit Dominus, vestris coronis participem fieri.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine :

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

AD SEXTAM.

Antiph. Precemur omnes Dominum Jesum Christum, ut fidei suæ Confessoribus fontis venam aperiat.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam,

℟. De lapide pretioso.

AD NONAM.

Antiph. Vidi suprà montem Agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emanat.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo :

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Omnes gentes per gyrum crediderunt Christo Domino.

Ab Hymno fit Officium de Festo sequente.

DIE XXIV.

In Festo

S. SEVERINI CONFESS.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. xiv. ⟨529⟩.

Oratio. Sancti Confessoris. xv. ⟨530⟩.

Ad Vesperas fit commemoratio S. Clementis.

Antiph. Dedisti Domine habitaculum Martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei, angelicis manibus præparatum ; iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia tua.

℣. Justus ut palma florebit :

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio. Deus qui in Sanctorum. *ut suprà.* 366. ⟨511⟩.

Ad Laudes fit commemoratio S. Chrysogoni Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Lætetur. vj. ⟨522⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

SEverinus, apud Luteciam Parisiorum monasticam vitam amplexus ; ut liberiùs rerum cælestium contemplationi vacaret, cellâ se conclusit. Ab eo beatus Clodoaldus, Clodovei primi ex Clodomere nepos, et religionis habitum et vivendi rationem accepit. Demùm Severinus sanctitatis famâ et vitæ planè angelicæ commendatione celebris, ex hâc vitâ decessit. Corpus ejus quiescit in Ecclesia Parisiensi.

Chrysogonus, imperante Diocletiano, Romæ inclusus in carcere, ibi per biennium sanctæ Anastasiæ liberalitate sustentatus est ; eamque, propter Christum à Publio marito vexatam, per literas est consolatus. Sed cùm Imperator Romam scripsisset, ut reliquis Christianis qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileiam ad se mitteretur ; eò perductus est. Cui Imperator, Arcessivi te, inquit, Chrysogone, ut te honoribus

augeam, si modò induxeris animum deos colere. At ille: Ego eum qui verus est Deus, veneror; deos autem, qui nihil sunt nisi dæmonum simulacra, odi et execror. Quo responso excandescens Imperator, ad aquas Gradatas eum securi percuti jussit. Corpus ejus projectum in mare, paulò post in litore inventum, Zolius Presbyter in ædibus sepelivit.

DIE XXV.

In Festo

S. CATHARINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Duplex minus.

Omnia de Communi Virginum, xvij. ⟨532⟩.

Oratio. Indulgentiam, *ibidem.*

Ad primas Vesperas fit commemoratio S. Severini.

Antiph. Qui vult post me venire. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.* xvj. ⟨531⟩.

℣. Justum. *ibidem.*

Oratio. Sancti Confessoris. xv. ⟨530⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

CAtharina, Virgo et Martyr, invictam in confessione fidei constantiam summâ cum sapientia conjunctam exhibuit. Corpus ejus in Sinâ Arabiæ monte sepultum, magnâ est in veneratione. Ejus memoriam Orientalis Ecclesia jampridem singulari cultu prosecuta est, ac præ cæteris enituit religiosum in eam studium Pauli Anachoretæ, qui ineunte sæculo decimo, vitæ sanctitate claruit: is quippe revelato sibi obitûs sui die, cùm proximæ beatitudinis spe ac desiderio incensus, occurrentia intra id tempus Sanctorum festa hilarior celebraret; majori alacritate et lætitiâ exultasse traditur in natali die Catharinæ, Martyris, quam impensiùs semper coluerat.

Ad secundas Vesperas fit commemoratio Sanctæ Genovefæ de miraculo Ardentium.

Antiph. Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam:

℟. Habitare facit eam in tabernaculo suo.

Oratio. Deus qui beatæ Genovefæ. *ut in Festo sequente.*

DIE XXVI.

In Festo

SANCTÆ GENOVEFÆ; DE MIRACULO ARDENTIUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, (xviij.) ⟨532⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

DEus, qui beatæ Genovefæ Virginis excellentiam multiplici virtutum gloriâ declarasti, concede nobis, quæsumus, ut ejus precibus à vitiorum æstu liberemur, quæ hodie per gratiam tuam in membris humanis ignis horrendi extinxit incendium: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitate, etc.

Ad Laudes fit commemoratio S. Marcelli Episcopi.

Antiph. In ascensu altaris sancti gloriam dedit, sanctitatis amictum; ipse stans juxtà aram, et circa illum corona fratrum.

℣. Posui adjutorium super potentem :

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Oratio.

EXaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati Marcelli Confessoris tui atque Pontificis commemoratione deferimus ; et qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis : Per Christum Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio sancti Lini, Papæ et Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Deus, qui nos. vj. ⟨522⟩.

AD PRIMAM.

Lectio.

GEnovefa Virgo publicis in calamitatibus Parisiorum urbem suo semper tutata est patrocinio. Quod cùm sæpe aliàs, tum maximè innotuit anno Domini millesimo centesimo trigesimo primo, regnante Ludovico sexto, cùm gravissima lues Franciæ regnum afflixit (sacrum ignem dixêre) quo anno plurimi, omnis ætatis et sexûs, in pedibus, manibus, mamillis, genis ipsis exusti, citò consumebantur. Hi adhibitis frustrà medicorum remediis, ad Deum confugerunt ; et quò citiùs exaudirentur, Virginis Deiparæ opem supplices implorârunt, non è Parisiorum civitate tantùm, sed et è locis remotioribus ad majorem ejus basilicam tanto numero confluentes, ut vix spatium ad oblationes populi et officia Clericorum relinqueretur. Stephanus, tum Episcopus Parisiensis, qui pauperum vulgò Pater habebatur et hospitalitatis exemplar, pastorali sollicitudine populorum saluti invigilans, Litanias indixit, quibus ad sanctæ Mariæ basilicam Sanctorum Reliquiæ gestarentur, ut eorum suffragiis, et peccatorum veniam et sævientis morbi remedium ægri à Deo impetrarent. Quibus præstitis, cùm vis morbi non remitteret, ad ædem sanctæ Genovefæ. Processione etiam habitâ, eidem Præsuli visum est, Genovefæ corpus præmisso jejunio publico, solemni pompâ deferre ; quod in gravibus calamitatibus fieri solebat. Interim eliguntur è Clero sanctæ Genovefæ, viri quos spectata morum probitas commendabat, qui capsam suis humeris deferrent. Itaque constituto die Stephanus Episcopus accessit cum Clero sanctæ Mariæ et magno populi concursu ad ædem sanctæ Genovefæ ; atque inde ad Basilicam cathedralem processerunt. In ipso Ecclesiæ ingressu, ægroti omnes, tribus exceptis, sanitatem recuperârunt. Quo miraculo permoti fideles, in gratiarum actiones effusi sunt. Anno sequenti, cùm Innocentius Papa secundus Lutetiam venisset ; compertâ miraculi veritate, annuo festo illius memoriam celebrari jussit. Sed et juxta majorem Basilicam in perenne rei monimentum ædificata est Ecclesia sub titulo sanctæ Genovefæ de Miraculo Ardentium.

De S. Lino.

Ex libro sancti Irenæi Episcopi et Martyris, adversus hæreses.

Lib. 3. *Cap.* 3.

Maximæ et antiquissîmæ, et omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per suî placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles; in quâ semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus.

Ad Vesperas fit commemoratio SS. Vitalis et Agricolæ, Martyrum.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi:

℟. Et gloriamininі† omnes recti corde.

Oratio. Præsta. *ut in Festo sequente.*

DIE XXVII.

In Festo

SS. VITALIS ET AGRICOLÆ MARTYRUM.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, (ix.) ⟨524⟩, *præter Orationem.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum tuorum Vitalis et Agricolæ solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur: Per Dominum nostrum, etc.

AD PRIMAM.

Lectio.

DIocletiani et Maximiani Imperatorum temporibus, etc. *ut in initio Proprii Sanctorum, paginâ* 2ª. ⟨199⟩.

DIE XXIX.

In Vigilia

S. ANDREÆ, APOSTOLI.

Simplex.

Officium fit de Feria, cum Oratione sequente.

Ad Laudes, post Antiphonam ad Benedictus, *dicuntur preces,* Kyrie eleison, etc. *ut in Communi Quadragesimæ.* 131. ⟨27⟩.

Oratio.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Andreas Apostolus, cujus prævenimus festivitatem, tuum pro nobis imploret auxilium, ut à nostris reatibus absoluti, à cunctis etiam periculis eruamur: Per Dominum nostrum, etc.

Fit commemoratio S. Saturnini, Episcopi et Martyris.

Antiph. Qui odit. *ut in Communi unius Martyris.* vij. ⟨523⟩.

℣. Justus. *ibidem.*

Oratio. Infirmitatem. vj. ⟨522⟩.

Ad Primam.

Lectio.

SAturninus à Romano Pontifice, unà cum sex aliis Episcopis missus in Gallias, etc. *ut initio Proprii Sanctorum, paginâ* 2ª. ⟨200⟩.

Die xxx.

In Festo

S. Andreæ, Apostoli.

Duplex majus.

Officium fit ut præscriptum est initio Proprii Sanctorum. 2. ⟨200⟩.

COMMUNE SANCTORUM.

COMMUNE APOSTOLORUM.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

[E]Xultet orbis gaudiis,
Cælum resultet laudibus:
Apostolorum gloriam
Tellus et astra concinunt.
Vos sæculorum judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.
Qui templa cæli clauditis,
Serasque verbo solvitis,
Nos à reatu noxios
Solvi jubete, quæsumus.
Præcepta quorum protinus
Languor salusque sentiunt,
Sanate mentes languidas;
Augete nos virtutibus.
Ut cùm redibit arbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse compotes.
Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnificat Antiph. Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ante reges et præsides ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.

Oratio ut in Proprio.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus.

Hymnus. Exultet. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Constitues eos principes super omnem terram:

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major

Domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

ÆTerna Christi munera,
Apostolorum gloriam,
Palmas, et hymnos debitos,
Lætis canamus mentibus.

Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Cælestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.

Devota sanctorum fides,
Invicta spes credentium,
Perfecta Christi charitas
Mundi tyrannum conterit.

In his Paterna gloria,
In his triumphat Filius,
In his voluntas Spiritus;
Cælum repletur gaudio.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.
℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Benedictus Antiph. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Ad Primam.

Antiph. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Vita Sancti, ut in Proprio.

Ad Tertiam.

Antiph. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Sextam.

Antiph. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, dicit Dominus.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Constitues eos principes super omnem terram.

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Nonam.

Antiph. Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Exultet. *ut in primis Vesperis.*

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat Antiph. In regeneratione cùm sederit Filius

hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel, dicit Dominus.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

COMMUNE APOSTOLORUM.

Tempore Paschali.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

JAm mortis excussit jugum
Victor subactis inferis,
Vivitque Christus, ac nova
Se vita nobis inserit.

Vos, ô Magistri, qui necem
Ac triste funus plangitis,
Adeste nunc et gloriæ
Vitæque testes redditæ.

Vos, ô fideles asseclæ,
Mysteriorum conscii,
Verbique cælestes tubæ,
Adeste quà ductor præit.

Non ille non Pastor sui
Resurgit oblitus gregis;
Nec cura mæstos, quos amat,
Paterna fratres deserit.

Sed nec paratum regredi
Festinat ad thronum priùs
Quam vestrà victrici fide
Et pace firmet pectora.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Tristitia vestra
℟. Vertetur in gaudium.

Ad Magnificat Antiph. Dicite discipulis ejus quia surrexit, alleluia, alleluia.

Oratio ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus, alleluia.

Hymnus. Jam mortis. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Ite, nuntiate fratribus meis, alleluia, ut eant in Galilæam : ibi me videbunt, alleluia.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Pax vobis, ego sum.
℟. Nolite timere.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Præbuit Jesus se ipsum vivum Apostolis post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, alleluia.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

NUnc se videndum, nunc sacræ
Impressa carni vulnera
Palpanda sistet, nec cibos
Conviva dedignabitur.

Nunc et sacrorum mysticos
Vatum recludet spiritus,
Lustransque pandet intimis
Occulta regni sensibus.

At vos sedentes interim
Superna virtus induet
Blandoque se vobis amor
Infundet illapsu Deus.

Arcana cæli gentibus
Tunc et salutis prodere
Licebit, et toto fidem
Verbumque mundo spargere.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit ac Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Gavisi sunt Discipuli,
℟. Viso Domino.

Ad Benedictus Antiph. Stetit Jesus in medio Discipulorum, et dixit eis, Pax vobis : sicut misit me Pater, et ego mitto vos, alleluia.

AD PRIMAM.

Antiph. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, alleluia.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Vita Sancti, ut in Proprio.

AD TERTIAM.

Antiph. Accipietis virtutem supervenientem Spiritus sancti in vos, alleluia.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Tristitia vestra
℟. Vertetur in gaudium.

AD SEXTAM.

Antiph. Eritis mihi testes in Jerusalem et usque ad ultimum terræ, alleluia.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Pax vobis, ego sum.
℟. Nolite timere.

AD NONAM.

Antiph. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, alleluia.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Sicut misit me Pater,
℟. Et ego mitto vos.

AD VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. In mundo pressuram habebitis : sèd confidite ; ego vici mundum, alleluia.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Jam mortis. *ut in primis Vesperis.*

℣. Gavisi sunt Discipuli,
℟. Viso Domino.

Ad Magnificat Antiph. Pater juste, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum ; ut videant claritatem meam, alleluia.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Beati estis cùm persecuti vos fuerint propter me: gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

DEus, tuorum militum
Sors, et corona, præmium;
Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia
Et blanda fraudum pabula,
Imbuta felle deputans,
Pervenit ad cælestia.

Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Fundensque pro te sanguinem,
Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime,
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.

Laus et perennis gloria
Patri sit, atque Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati N. Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

LÆtetur Ecclesia tua, Deus, beati N. Martyris tui confisa suffragiis; atque ejus precibus gloriosis et devota permaneat et secura consistat: Per Dominum nostrum etc.

Si sit Pontifex. Oratio.

INfirmitatem nostram respice omnipotens Deus; et quia pondus propriæ actionis gravat, beati N. Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

DEus qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus: Per Dominum nostrum.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Martyrum Dominum, venite adoremus.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Probavit me Dominus quasi aurum quod per

ignem transit: vestigia ejus sequutus est pes meus; viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam

℟. De lapide pretioso.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Domine, tu scis quia, cùm à morte possem liberari, duros corporis dolores propter timorem tuum libenter passus sum.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

INvicte Martyr, unicum
Patris sequutus Filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cælestibus.
Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ repellens tædium.
Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Dono superni numinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Ad Primam.

Antiph. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Vita Sancti, ut in Proprio.

Ad Tertiam.

Antiph. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine:

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Antiph. Ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam.

℟. De lapide pretioso.

Ad Nonam.

Antiph. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Ad Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Deus tuorum militum. *ut in primis Vesperis.*

℣. Justus ut palma florebit;

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnificat Antiph. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

TEMPORE PASCHALI, *additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii; non autem in fine Versiculorum. De cætero fit Officium ut extra tempus Paschale.*

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Quis separabit nos à charitate Christi? an tribulatio? an persecutio? an gladius? sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

Psalmi de Matutino† diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

SAnctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaque fortia:
Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.
Hi sunt quos fatuè mundus abhorruit:
Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Contempsere tui nominis asseclæ,
Jesu rex bone Cælitum.
Hi pro te furias, atque minas truces
Calcarunt hominum, sævaque verbera:
His cessit lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.
Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia;
Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine, fulgidis
Cingunt tempora laureis.
Te, summa ô Deitas unaque, poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canant. Amen.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi:

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Magnificat Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Oratio.

DEus qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum

N. et N. natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine eorum societate gaudere: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

DEus qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum N. et sociorum ejus solemnitate lætificas, concede propitius ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis: Per Dominum nostrum etc.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Martyrum Dominum venite adoremus.

Hymnus. Sanctorum meritis. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum: illi autem sunt in pace.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Exultent justi in conspectu Dei;

℟. Et delectentur in lætitia.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

CHristo profusum sanguinem,
Et Martyrum victorias,
Dignamque cælo lauream,
Lætis sequamur vocibus.

Terrore victo sæculi,
Pœnisque spretis corporis,
Mortis sacræ compendio
Vitam beatam possident.

Traduntur igni Martyres,
Et bestiarum dentibus:
Armata sævit ungulis
Tortoris insani manus.

Nudata pendent viscera;
Sanguis sacratus funditur:
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratiâ.

Te nunc, Redemptor, quæsumus
Ut Martyrum consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna sæcula. Amen

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus Antiph. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora transierunt.

AD PRIMAM.

Antiph. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Vita Sanctorum, ut in Proprio.

AD TERTIAM.

Antiph. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi:

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Sextam.

Antiph. Tamquam aurum in fornace probavit eos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Exultent justi in conspectu Dei:

℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Nonam.

Antiph. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Justi autem in perpetuum vivent:

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Sanctorum meritis. *ut in primis Vesperis.*

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnificat Antiph. Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt sequuti; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Tempore Paschali *fit Officium ut extra tempus Paschale: sed additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii; non autem in fine versiculorum.*

COMMUNE CONFESSORIS PONTIFICIS.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus, et multos avertit ab iniquitate.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

Christe Pastorum caput atque princeps,
Præsulis festam venerata lucem
Debitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano tenuit tremendam
Spiritu sedem, proprio nec ausu;
Sed sacrum jussus domino vocante
Sumpsit honorem.

Strenuum bello pugilem superni
Chrismatis pleno tuus intus unxit
Spiritus cornu, posuitque sanctam
Pascere gentem.

Fit gregis pastor, pater, atque forma:
Lætus impendit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.

Pro reis orat, reficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Conterit hostem.

Fac ut illius precibus juvemur
Christe, fac Patrem, pariterque tecum
Spiritum jugi celebremus hymno
Omne per ævum.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat Antiph. Elegit ipsum Dominus ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem, pro populo suo.

Oratio.

EXaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati N. Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus; et qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati N. Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem: Per Dominum nostrum etc.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessorum Dominum, venite adoremus.

Hymnus. Christe Pastorum caput. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Excelsum fecit illum Dominus, et dedit illi sacerdotium gentis, et circumcinxit eum zonâ gloriæ, et coronavit eum in vasis virtutis.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Sapientiam ejus enarrabunt gentes et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

JEsu sacerdotum decus,
In hac die, qua gloria
Sanctum coronas Præsulem,
Votis adesto supplicum

Sui probatus præmium
Amoris, et pignus tui
A Patre traditos tibi
Accepit agnos pascere.

Hos novit, et præit vocans
In tuta quemque pascua,
Victumque præbet: audiunt,
Sequuntur, et vivunt oves.

Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovili reddere.

Arcet frementes bestias,
Lupi retundit impetus,
Dolosque fallit, vel mori
Charo paratus pro grege.

Offert sequentem victimam
Cum plebe Pastor innocens;
Secumque devotum gregem
Pius sacerdos immolat.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et in perpetuum.
Amen.

℣. Posui adjutorium super potentem:

℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Ad Benedictus Antiph. Euge serve bone et fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Ad Primam.

Antiph. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Vita Sancti, ut in Proprio.

Ad Tertiam.

Antiph. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum:

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Sextam.

Antiph. Beatus ille servus quem, cùm venerit Dominus ejus et pulsaverit januam, invenerit vigilantem.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Nonam.

Antiph. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Tu es sacerdos in æternum,

℟. Secundùm ordinem Melchisedech.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Suscitavit sibi Dominus sacerdotem fidelem, qui juxta cor suum et animam suam faceret.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus Christe Pastorum caput. *ut in primis Vesperis.*

℣. Posui adjutorium super potentem:

℟. Et exaltavi electum de plebe mea.

Ad Magnificat Antiph. Dedit illi Dominus sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.

Pro summis Pontificibus loco istius Antiphonæ dicitur hæc altera. Tibi dabo claves regni cælorum : et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælis.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Tempore Paschali *additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii, non autem in fine Versiculorum. De cætero fit Officium ut extra tempus Paschale.*

Pro Doctoribus.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, vel Confessoris non Pontificis, pro qualitate Festi ; exceptis Antiphonis quæ sequuntur.

Ad Primas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Oratio.

DEus qui populo tuo æternæ salutis beatum N. ministrum tribuisti, præsta ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis : Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

EXcita Domine in Ecclesia tua spiritum quo beatus N. servivit ; ut eodem nos replente, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit : Per Dominum nostrum etc.

Ad Laudes.

Ad Benedictus Antiph. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Magnificat Antiph. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate N. divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

COMMUNE CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

ISte Confessor Domini, colentes
Quem piè laudant populi per orbem,
Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.

Si non sit dies obitus, dicitur,

[Hac die sacros habuit beatus
Laudis honores.]
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit auræ
Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum, frequenter
Ægra quæ passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.
Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem celebresque palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat
Trinus et unus. Amen.

℣. Justus germinabit sicut lilium:

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad Magnificat Antiph. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, quas in beati N. Confessoris tui solemnitate deferimus; ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit precibus adjuvemur: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

SAncti Confessoris tu⟨i⟩ N. tribue nos Domine supplicationibus foveri; ut cujus depositionem annuo celebramus obsequio, ejus intercessionibus et meritis sublevemur: Per Dominum nostrum etc.

Si sit Abbas. Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati N. Abbatis commendet; ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati N. Abbatis solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur et precibus: Per Dominum nostrum etc.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Confessorum Dominum, venite adoremus.

Hymnus. Iste Confessor. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Dedit illi Dominus scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Os justi meditabitur sapientiam:

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Lectiones de scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Omnia detrimentum feci et arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

SUmmi pusillus grex Patris,
Timore mentem solvite,
Sui paternus vos amor
Vult esse regni compotes.

Gaudete : regnat inclytus
Confessor, hîc qui sæculo
Ignotus, exosus sibi,
Qui pauper, et sciens pati.

Angusta pœnitentiæ
Ingressus et viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna, non timet sequi.

Carnem terit jejuniis,
Linguam domat silentio ;
In pauperum, parcus sibi,
Abscondit et spargit sinu.

Sapore verbi pascitur ;
Totoque legem pectore
Scrutatus, orat pervigil ;
Mens celsa versatur polo.

Hac surgit ad cælum via :
Et nos eadem da Pater,
Da Nate, da cum Spiritu
Ad te venire semitâ. Amen.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas :

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus Antiph. Domine, quinque talenta tradidisti mihi ; ecce alia quinta superlucratus sum.

AD PRIMAM.

Antiph. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de vita Sancti, ut in Proprio.

AD TERTIAM.

Antiph. Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Justus germinabit sicut lilium.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

AD SEXTAM.

Antiph. Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Os justi meditabitur sapientiam :

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

AD NONAM.

Antiph. Fecit quod erat bonum coram Domino ; adhæsit ei, et non recessit à vestigiis ejus.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius :

℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis.

Hymnus. Iste Confessor. *ut in primis Vesperis.*

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas :

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnificat Antiph. Qui vult post me venire, abneget

semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Comm. per annum. TEMPORE PASCHALI *additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii, non autem in fine Versiculorum. De cætero fit Officium ut extra tempus Paschale.*

COMMUNE VIRGINUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Psalmos Antiph. Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

JEsu corona Virginum,
Quem mater illa concipit
Quæ sola Virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.
Qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria
Sponsisque reddens præmia.
Quocumque tendis, Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.
Stant audiuntque cæteri,
Stupentque sanctorum chori:
Sed nuptiale Virginum
Tentare carmen non datur.
Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Elegit eam Deus et præelegit eam.

℟. Habitare facit eam in tabernaculo suo.

Ad Magnificat Antiph. Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.

Oratio.

DEus, qui nos beatæ N. Virginis tuæ annua solemnitate lætificas, concede propitius ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis instruimur exemplis: Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

DEus, qui habitaculum tuum in corde pudico constituisti, concede ut qui fidelis sponsæ tuæ N. puritatem humili veneramur obsequio, piæ devotionis sequamur exemplo: Per Dominum nostrum etc.

Si sit Martyr. Oratio.

DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius ut qui beatæ N. Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur: Per Dominum nostrum.

Alia Oratio.

INdulgentiam nobis quæsumus Domine, beata N. Virgo et Martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit, et merito castitatis, et tuæ professione virtutis: Per Dominum nostrum etc.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Virginum Dominum, venite adoremus.

Hymnus. Jesu corona Virginum. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo:

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Venit sponsus; et quæ paratæ erant, introiverunt cum ipso ad nuptias.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

NOn vana delictum gregem
Pavere mundi gaudia,
Nec pura fallax pectora
Imago lusit sæculi.
Sed hæc tuarum propria
Sunt Christe sponsarum bona,
Te semper, et tecum tuis
In te potiri gaudiis.
Castis vicissim tu tibi
In cordibus thorum struis,
Interque flammas intimo
Amans quiescis in sinu.
Hîc unus est sponsis amor,
Unusque tecum spiritus;
Beasque sponsus singulas,
In teque transformans, Deus.
Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.
Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Adducentur Regi virgines post eam.

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Ad Benedictus Antiph. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt æquales Angelis Dei.

Ad Primam.

Antiph. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de vita Sanctæ, ut in Proprio.

Ad Tertiam.

Antiph. Exivit obviam sponso, et intravit cum eo ad nuptias.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Elegit eam Deus et præeligit eam.

℟. Habitare facit eam in tabernaculo suo.

Ad Sextam.

Antiph. Felix quæ nescivit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo:

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Nonam.

Antiph. Dabitur illi fidei donum electum, et sors acceptissima in templo Dei.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Indumento justitiæ circumdedit eam Dominus,

℟. Quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiphona. Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Jesu corona Virginum. *ut in primis Vesperis.*

℣. Adducentur Regi virgines post eam :

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Ad Magnificat Antiph. Veni sponsa Christi ; accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Tempore Paschali *additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii, non autem in fine Versiculorum. De cætero fit Officium ut extra tempus Paschale.*

COMMUNE MULIERUM SANCTARUM.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tu scis Domine quia mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

Fortem virili pectore
Laudemus omnes fœminam,
Quæ sanctitatis gloria
Ubique fulget inclyta.
Hæc Christi amore saucia,
Dum mundi amorem noxium
Horrescit, ad cælestia
Iter peregit arduum.
Carnem domans jejuniis,
Dulcique mentem pabulo
Orationis nutriens,
Cæli potitur gaudiis.
Rex Christe, virtus fortium,
Qui magna solus efficis,
Hujus precatu quæsumus,
Audi benignus supplices.
Deo patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paractito,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Mandata Dei in corde mulieris sanctæ,

℟. Fundamenta æterna supra petram solidam.

Ad Magnificat Antiph. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas : inventâ unâ pretiosâ, dedit omnia sua, et comparavit eam.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ N. festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu : Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

Tuorum corda fidelium Deus miserator illustra, et beatæ N. precibus ac meritis fac nos

terrena despicere et amare cælestia : Per Dominum nostrum etc.

Si sit Martyr. Oratio.

TRibue, quæsumus Domine, precibus nostris cum exultatione proventum ; ut beatæ N. cujus passionem recolimus, constantiam imitemur : Per Dominum nostrum etc.

Alia Oratio.

MArtyris tuæ N. nos, Domine, confessio sancta communiat, et fragilitati nostræ continuum impetret subsidium : Per Dominum nostrum etc.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem in quo exultant filiæ Sion, venite adoremus.

Hymnus. Fortem virili pectore. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Fallax gratia, et vana est pulchritudo ; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Os suum aperuit sapientiæ.

℟. Et lex clementiæ in lingua ejus.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

AD nuptias Agni, Pater
Matres, et innuptas vocat :
O te beatam, cui thorus
Interque sponsas sors datur.

Lex nuptiarum charitas ;
Dos magna, paupertas tibi,
Calcare fallaces opes,
Caduca mundi spernere.

Te multus oblectat labor,
Fusæque jejunam preces ;
Te pœnitentem lacrymæ,
Te cura pauperum juvat.

Quacumque confixam sibi
Per probra sponsam, per cruces,
Trahit Magister ; et sequi
Despecta gaudes, et pati.

Beata, quæ sponso Deo
Castis adhæret vinculis :
Sic corpus unum possumus,
Sic unus esse spiritus.

Hoc præstet almo cum Patre
Natoque nobis Spiritus ;
Qui trinus ac unus Deus
Regnat per omne sæculum.
Amen.

℣. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.

℟. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

Ad Benedictus Antiph. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

AD PRIMAM.

Antiph. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Vita Sanctæ, ut in Proprio.

Ad Tertiam.

Antiph. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

℟. Fundamenta æterna supra petram solidam.

Ad Sextam.

Antiph. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Os suum aperuit sapientiæ:

℟. Et lex clementiæ in lingua ejus.

Ad Nonam.

Antiph. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: surge amica mea, et veni.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Induit eam Dominus decore gloriæ:

℟. Ostendit in ea splendorem suum.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Revertere, revertere, Sulamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Fortem virili pectore. *ut in primis Vesperis.*

℣. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.

℟. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

Ad Magnificat Antiph. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, et panem otiosa non comedit.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Tempore Paschali *additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii, non autem in fine Versiculorum. De cætero fit Officium ut extra tempus Paschale.*

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Hæc est domus Dei in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est; Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

Cælestis Urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quæ celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsæque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.

O sorte nupta prosperâ,
Dotata Patris gloriâ,
Referta Sponsi gratiâ,
Regina formosissima,
Christo jugata Principi,
Cæli corusca civitas.

Hîc margaritis emicant
Patentque cunctis ostia:
Virtute namque prævia
Mortalis illuc ducitur
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.
Decus Parenti debitum
Sit usquequaque altissimo,
Natoque Patris unico,
Et inclyto Paraclito,
Cui laus, potestas, gloria,
Æterna sit per sæcula. Amen.

℣. Beati qui habitant in domo tua Domine:

℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

Ad Magnificat Antiph. Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

Oratio.

DEus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui, et præsta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur: Per Dominum nostrum etc.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Communi per annum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dominum in templo sancto suo, venite adoremus.

Hymnus. Cælestis Urbs Jerusalem. *ut in primis Vesperis.*

Antiph. Adorabunt nationes in ea Dominum, et terram ejus in sanctificationem habebunt; nomen enim magnum invocabunt in ea.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Locus iste sanctus est in quo orat Sacerdos,

℟. Pro delictis et peccatis populi.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus etc.

AD LAUDES.

Ad Psalmos Antiph. Locutus est mecum Angelus dicens, Veni ostendam tibi novam sponsam uxorem Agni: Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus.

PAtris æterni soboles coæva
Dum tuæ sacros pia plebs honores
Ædis instaurat, Deus alme, nostris
Annue votis.
Hîc sacri fontis latices ab ortu
Inditi purgant maculam reatus:
Hîc et infusum nova membra Christo
Chrisma coaptat.
Hîc sua pascit populos fideles
Carne, qui mundi scelus omne tollit
Agnus, et fusi pretium cruoris
Ipse propinat.
Hîc salus ægris animi paratur,
Hîc reos judex facilis relaxat,
Atque lethalem rediviva pellit
Gratia culpam.

Cujus in cælo thronus est perennis,
Incolit parvam Deus altus ædem :
Hîc adorator sibi quisque sedem
Præparat astris.
Nullus hanc turbo quatit, irruentis
Nulla vis nimbi, rapidive fluctus ;
Cedit hanc contra furor inferorum
Irritus omnis.
Laus Deo, virtus, honor, et potestas
Una sit Patri, parilique Proli ;
Par sit amborum tibi nexus omni
Spiritus ævo. Amen.

℣. Domus mea,
℟. Domus orationis vocabitur.

Ad Benedictus Antiph. Benedictus es Domine in templo sancto gloriæ tuæ, et superlaudabilis, et superexaltatus in sæcula.

Ad Primam.

Antiph. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Ad Tertiam.

Antiph. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Beati qui habitant in domo tua Domine.

℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

Ad Sextam.

Antiph. Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Psalmi de Sexta diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Locus iste sanctus est in quo orat Sacerdos,

℟. Pro delictis et peccatis populi.

Ad Nonam.

Antiph. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo Domine.

Psalmi de Nona diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata :

℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Secundas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus ; et habitabit cum eis.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. Cælestis Urbs Jerusalem. *ut in primis Vesperis.*

℣. Domus mea,

℟. Domus orationis vocabitur.

Ad Magnificat Antiph. O quàm metuendus est locus iste ! verè non est hîc aliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ, et in ejus Octava, omnia ut in die.

Tempore Paschali *additur* Alleluia *in fine Antiphonarum et Invitatorii, non autem in fine Versiculorum. De cætero fit Officium ut extra tempus Paschale.*

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO.

Per Annum.

Simplex.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Vespertina oratio ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Psalmi de Vesperis Feriæ VI. ut in Psalterio. 95. ⟨9⟩.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cœcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem ;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum ;
Ut videntes Jesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ave Maria, gratiâ plena :
℟. Dominus tecum.

Ad Magnificat Antiph. Beata mater et intacta, virgo gloriosa, regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere et gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia : Per Dominum nostrum etc.

Ad Completorium.

Omnia ut in Communi per annum.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Ave Maria, gratiâ plena ; Dominus tecum.

Hymnus.

OQuàm glorificâ luce coruscas
Stirpis Davidicæ regia proles,
Sublimis residens Virgo Maria
Supra cæligenas ætheris omnes.
Tu cum virgineo mater honore,
Cælorum Domino pectoris aulam
Sacris visceribus casta parasti ;
Hinc natus Deus est corpore Christus.

Quem cunctus venerans orbis adorat,
Cui nunc rite genu flectitur omne,
A quo nos petimus, te veniente,
Abjectis tenebris, gaudia lucis.
Hoc largire Pater luminis omnis,
Natum per proprium, Flamine sacro,
Qui tecum nitida vivit in æthra,
Regnans, ac moderans sæcula cuncta. Amen.

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Psalmi de Matutino Sabbati, ut in Psalterio. 98. ⟨9⟩.

℣. Beata quæ credidisti.

℟. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus. 117. ⟨15⟩.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Quàm pulchra es, et quàm decora, charissima, in deliciis.

Psalmi de Laudibus Sabbati, ut in Psalterio. 102. ⟨9⟩.

Hymnus.

VIrgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis
In tua se clausit viscera factus homo.
Vera fides geniti purgavit crimina mundi;
Et tibi virginitas inviolata manet.
Te matrem pietatis, opem te flagitat orbis:
Subvenias famulis, ô benedicta, tuis.
Gloria magna Patri, compar tibi gloria, Nate,
Cum sancto Spiritu; gloria magna Deo. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus Antiph. Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti; sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Post Orationem fiunt Commemorationes de Sanctis, et de Pace, ut in Comm. per annum. 120. ⟨9⟩.

Ad Primam.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Psalmus de Prima Sabbati, ut in Psalterio. 105. ⟨9⟩.

Ad Tertiam.

Antiph. Tota pulcra es, amica mea; et macula non est in te.

Psalmus de Tertia Sabbati, ut in Psalterio. 106. ⟨9⟩.

℣. Ave Maria, gratiâ plena:

℟. Dominus tecum.

Ad Sextam.

Antiph. Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus.

Psalmus de Sexta Sabbati, ut in Psalterio. 108. ⟨9⟩.

℣. Benedicta tu in mulieribus:

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

AD NONAM.

Antiph. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

Psalmus de Nona Sabbati, ut in Psalterio. 110. ⟨9⟩.

℣. Beata quæ credidisti :

℟. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Tempore Adventus non fit Officium beatæ Mariæ in Sabbato.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD PURIFICATIONEM.

Omnia ut in Officio beatæ Mariæ in Sabbato per annum, præter ea quæ sequuntur.

Ad Magnificat Antiph. Mirabile mysterium declaratur hodie : Deus homo factus est : id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit ; non commixtionem passus, neque divisionem.

Oratio.

DEus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti, tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum etc.

Ad Benedictus Antiph. Omnes qui audierunt, mirati sunt ; et de his quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos : Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Tempore Quadragesimæ non fit Officium beatæ Mariæ in Sabbato.

TEMPORE PASCHALI.

Omnia ut in Officio beatæ Mariæ in Sabbato per annum, præter ea quæ sequuntur.

In fine Antiphonarum et Invitatorii additur Alleluia, *non autem in fine Versiculorum.*

Ad Magnificat Antiph. Regina cæli lætare, alleluia ; quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit, sicut dixit, alleluia : ora pro nobis Deum, alleluia.

Ad Benedictus Antiph. Per feminam mors, per feminam vita : per Evam interitus, per Mariam salus, alleluia.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Ad Vesperas.

Absolutè incipitur ab Antiphona Placebo.

Psalmus 114.

DIlexi, quoniam exaudiet... Placebo Domino in regione vivorum.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Placebo Domino in regione vivorum.

Antiph. Heu me.

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer ...impugnabant me gratis.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Heu me, Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

Antiph. Dominus.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos...ex hoc nunc et usque in sæculum.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.

Antiph. Si iniquitates.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi...ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit ?

Antiph. Opera.

Psalmus 137.

CONfitebor tibi Domine... opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Opera manuum tuarum Domine ne despicias.

Continuò dicitur Antiph. Omne.

Canticum beatæ Mariæ Virginis.

Lucæ 1.

MAgnificat anima mea...et semini ejus in sæcula.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet ; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

℣. In memoria æterna erunt justi :

℟. Ab auditione mala non timebunt.

℣. A porta inferi,

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Credo videre bona Domini,
℟. In terra viventium.

Psalmus 145.

LAuda anima mea...in generationem et generationem.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus.

Pro omnibus Defunctis. Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Pro uno defuncto. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortem: Per Dominum nostrum etc.

Pro una defuncta. Oratio.

QUæsumus, Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N. et à contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue: Per Dominum nostrum etc.

Pro Pontifice, vel Sacerdote. Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali [*vel* Sacerdotali] fecisti dignitate vigere, præsta ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio: Per Dominum nostrum etc.

Pro patre et matre. Oratio.

DEus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris mei ac matris meæ, eorumque peccata dimitte; meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre: Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Absolutè incipitur ab Antiphona Dirige.

Psalmus 5.

VErba mea auribus...voluntatis tuæ coronasti nos.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

Antiph. Convertere.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo... erubescant valde velociter.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Convertere Domine, et eripe animam meam: quoniam non est in morte qui memor sit tui.

Antiph. Ne quando.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus...psallam nomini Domini altissimi.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Ne quando rapiat ut leo animam meam; dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

℣. A porta inferi,

℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Lectiones leguntur sine Absolutione, sine Benedictionibus, et sine Titulo.

Lectio j. Iob. 7. ⟨*v.* 16–21.⟩

PArce mihi, nihil enim sunt... si manè me quæsieris, non subsistam.

In fine Lectionum non dicitur Tu autem, *nec quicquam aliud.*

℟. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum, tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem;

℟. Tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiæ.

Lectio ij. Iob 10. ⟨*v.* 1–12.⟩

TÆdet animam meam...visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Credo quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

℣. Quem visurus sum ego ipse, et non alius; et oculi mei conspecturi sunt.

℟. Et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

Lectio iij. Iob 10. ⟨*v.* 18–22.⟩

QUare de vulva...sempiternus horror inhabitat.

℟. Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea: quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? miserere mei, dum veneris in novissimo die.

℣. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine succurre ei,

℟. Dum veneris in novissimo die.

In II. Nocturno.

Antiph. In medio umbræ.

Psalmus 22.

DOminus regit me ... in longitudinem dierum.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. In medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine.

Antiph. Delicta.

Psalmus 24.

AD te Domine levavi ... ex omnibus tribulationibus suis.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris Domine.

Antiph. Credo.

Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea ... confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Credo videre bona Domini in terra viventium.

℣. In memoria æterna erunt justi:

℟. Ab auditione mala non timebunt.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Lectio iv. Iob 13. ⟨*v.* 23–28.⟩

QUantas habeo iniquitates ... quod comeditur à tinea.

℟. Ne recorderis peccata mea Domine, dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Ampliùs lava me Domine ab injustitia mea, et à delicto meo munda me:

℟. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

Lectio v. Iob 14. ⟨*v.* 1–6.⟩

HOmo natus de muliere ... sicut mercenarii, dies ejus.

℟. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vultu iræ tuæ? Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare.

℟. Quia peccavi nimis in vita mea.

Lectio vi. Iob 14. ⟨*v.* 13–16.⟩

QUis mihi hoc tribuat ... sed parce peccatis meis.

℟. Peccantem me quotidie, et non pœnitentem, timor mortis conturbat me. Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei Deus, et salva me.

℣. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam:

℟. Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei Deus, et salva me.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Complaceat.

Psalmus 39.

EXpectans expectavi ... Deus meus ne tardaveris.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Complaceat tibi Domine, ut eripias me: Domine ad adjuvandum me respice.

Antiph. Sana Domine.

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit ... et usque in sæculum: fiat, fiat.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi.

Antiph. Sitivit.

Psalmus 41.

QUemadmodum desiderat cervus ... salutare vultus mei, et Deus meus.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Domini?

℣. Audivi vocem de cælo dicentem mihi:

℟. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Lectio vij. Iob 16. ⟨*v.* 23–17. *v.* 3.⟩

BReves anni transeunt ... cujusvis manus pugnet contra me.

℟. Domine secundùm actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi: ideò deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

℣. Iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum coram me est semper: tibi soli peccavi.

℟. Ideo deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

Lectio viij. Iob 17. ⟨*v.* 11–15⟩.

DIes mei transierunt ... patientiam meam quis considerat?

℟. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea; nec aspiciet me visus hominis.

℣. Et non revertetur oculus meus ut videat bona;

℟. Nec aspiciet me visus hominis.

Lectio ix. Iob. 19. ⟨*v.* 20–27⟩

PElli meæ, consumptis carnibus ... spes mea in sinu meo.

℟. Libera me Domine de morte æternâ, in die illâ tremendâ, quando cæli movendi sunt et terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ; dies magna et amara valdè.

℟. Quando cæli movendi sunt et terra.

℣. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira.

℟. Quando cæli etc.

℣. Contrement Angeli et Archangeli: impii autem ubi parebunt?

℟. Quando cæli etc.

℣. Vix justus salvabitur; et ego miser ubi parebo

℟. Quando cæli etc.

℣. Quid ergo miserrimus, quid dicam vel quid faciam, dum nihil boni perferam antè tantum judicem?

℟. Quando cæli etc.

℣. Vox de cælis: O vos mortui qui jacetis in sepulcris surgite et occurrite ad judicium Salvatoris.

℟. Quando cæli etc.

℣. Creator omnium rerum Deus, qui me de limo terræ formasti, et mirabiliter proprio sanguine redemisti; corpusque meum, licet modò putrescat, de

sepulcro facies in die judicii resuscitari ; exaudi, exaudi me, ut animam meam in sinu Abrahæ Patriarchæ tui jubeas collocari.

℟. Libera me Domine de morte æternâ, in die illâ tremendâ, quando cæli movendi sunt et terra, dum veneris judicare sæculum per ignem.

AD LAUDES.

Absolutè incipitur ab Antiphona Exultabunt.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam ... altare tuum vitulos.

Requiem æternam dona eis, Domine et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata.

Antiph. Exaudi.

Psalmus 64.

TE decet hymnus .. etenim hymnum dicent.

Requiem æternam dona eis, Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Exaudi Deus orationem meam : ad te omnis caro veniet.

Antiph. Me suscepit.

Psalmus 62.

DEus, Deus meus ... os loquentium iniqua.

Psalmus 66.

DEus misereatur nostri ... metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Me suscepit dextera tua Domine.

Antiph. A porta.

Canticum Ezechiæ. Is. 38.

EGo dixi : In dimidio dierum ... vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. A porta inferi erue Domine animas eorum.

Antiph. Omnis spiritus.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cælis ... populo appropinquanti sibi.

Psalmus 149.

CAntate Domino canticum novum ... gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus ... omnis spiritus laudet Dominum.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Omnis spiritus laudet Dominum.

Antiph. Ego sum.

Canticum Zachariæ.

Lucæ 1.

BEnedictus Dominus Deus Israël ... pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam dona eis, Domine : et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

Deinde dicitur Pater noster. *et reliqua, ut suprà in fine Vesperarum*, (xxx.) ⟨542⟩ *excepto quòd loco Psalmi* Lauda anima mea. *dicitur Psalmus* De Profundis, xxix. ⟨542⟩.

PSALMI PŒNITENTIALES.

Antiph. Intret.

Psalmus 6. Domine ne in furore tuo arguas me. etc. *ut in Psalterio, paginâ* 2. ⟨1⟩.

Psalmus 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates etc. *pag.* 22. ⟨5⟩.

Psalmus 37. Domine ne in furore tuo arguas me etc. *pag.* 33. ⟨6⟩.

Psalmus 50. Miserere mei Deus etc. *pag.* 54. ⟨7⟩.

Psalmus 101. Domine exaudi orationem meam etc. *pag.* 100. ⟨11⟩.

Psalmus 129. De profundis clamavi etc. *pag.* 64. ⟨8⟩.

Psalmus 142. Domine exaudi orationem meam etc. *pag.* 86. ⟨10⟩.

Antiph. Intret oratio nostra in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras: parce Domine, parce populo tuo, quem redemisti Christe sanguine tuo; et ne in æternum irascaris nobis.

LITANIÆ.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria, Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, Ora.

Sancta Virgo virginum, Ora.

Sancte Michaël, Ora.

Sancte Gabriel, Ora.

Sancte Raphaël, Ora.

Omnes sancti Angeli et Archangeli, Orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines, Orate.

Sancte Joannes Baptista, Ora.

Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, Orate.

Sancte Petre, Ora.

Sancte Paule, Ora.

Sancte Andrea, Ora.

Sancte Jacobe, Ora.

Sancte Joannes, Ora.

Sancte Thoma, Ora.

Sancte Jacobe, Ora.

Sancte Philippe, Ora.

Sancte Bartholomæe, Ora.

Sancte Matthæe, Ora.

Sancte Simon, Ora.

Sancte Thadæe, Ora.

Sancte Matthia, Ora.

Sancte Barnaba, Ora.

Sancte Luca, Ora.

Sancte Marce, Ora.

Omnes sancti Apostoli, et Evangelistæ, Orate.

Omnes sancti Discipuli Domini, Orate.

Omnes sancti Innocentes, Orate pro nobis.

Sancte Stephane, Ora.

Sancte Clemens, Ora.

Sancte Fabiane, Ora.
Sancte Laurenti, Ora.
Sancte Vincenti. Ora.
Sancte Dionysi cum sociis tuis, Ora pro nobis.
Sancti Agoarde et Agilberte, Orate pro nobis.
Sancti Cosma et Damiane, Orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Protasi, Orate pro nobis.
Sancte Præjecte, Ora.
Sancte Justine, Ora.
Sancte Lucane, Ora.
Sancte Victor, Ora.
Sancte Sebastiane, Ora.
Sancte Mauriti cum sociis tuis, Ora pro nobis.
Sancte Hippolyte cum sociis tuis, Ora pro nobis.
Omnes sancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Silvester, Ora.
Sancte Gregori, Ora.
Sancte Ambrosi, Ora.
Sancte Augustine, Ora.
Sancte Hieronyme, Ora.
Sancte Hilari, Ora.
Sancte Martine, Ora.
Sancte Remigi, Ora.
Sancte Nicolaë, Ora.
Sancte Marcelle, Ora.
Sancte Germane, Ora.
Sancte Landerice, Ora.
Sancte Ceraune, Ora.
Sancte Gendulfe, Ora.
Sancte Exuperi, Ora.
Sancte Maglori, Ora.
Sancte Eligi, Ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, Orate.
Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora.
Sancte Benedicte, Ora.
Sancte Maure, Ora.
Sancte Maturine, Ora.
Sancte Mederice, Ora.
Sancte Leufrede, Ora.
Sancte Severine, Ora.
Sancte Clodoalde, Ora.
Sancte Droctovee, Ora.
Sancte Fiacri, Ora.
Sancte Bernarde, Ora.
Sancte Dominice, Ora.
Sancte Francisce, Ora.
Sancte Ludovice, Ora.
Sancte Roche, Ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitæ, Orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, Orate.
Sancta Anna, Ora.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Sancta Thecla, Ora.
Sanctæ Perpetua et Felicitas, Orate pro nobis.
Sancta Agatha, Ora.
Sancta Lucia, Ora.
Sancta Agnes, Ora.
Sancta Cæcilia, Ora.
Sancta Catharina, Ora.
Sancta Anastasia, Ora.
Sancta Genovefa, Ora.
Sancta Aurea, Ora.
Sancta Opportuna, Ora.
Sancta Clotildis, Ora.
Sancta Baltildis, Ora.
Sancta Maria Ægyptia, Ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, Orate.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto ; Parce nobis, Domine.
Propitius esto ; Exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, Libera nos, Domine.
Ab omni peccato, Libera.
Ab ira tua, Libera.

A subitanea et improvisa morte, Libera.
Ab insidiis diaboli, Libera.
Ab immundis cogitationibus, Libera.
A spiritu fornicationis, Lib.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, Libera.
A fulgure et tempestate, Lib.
A morte perpetua, Libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, Libera.
Per Adventum tuum, Libera.
Per Nativitatem tuam, Lib.
Per Baptismum et sanctum jejunium tuum, Libera.
Per Crucem et Passionem tuam, Libera.
Per mortem et sepulturam tuam, Libera.
Per sanctam Resurrectionem tuam, Libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, Libera.
Per adventum Spiritûs sancti paracleti, Libera.
In die judicii, Libera.
Peccatores,
Te rogamus, audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te.
Ut remissionem peccatorum nostrorum nobis dones, Te.
Ut compunctionem cordis fontemque lacrymarum nobis dones, Te.
Ut fidem, spem, et charitatem nobis dones, Te.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Te rogamus, audi nos.
Ut domnum Apostolicum, et omnes gradus Ecclesiæ in sancta religione conservare digneris,
Te rogamus, audi nos.
Ut Antistitem nostrum, et omnes congregationes illi commissas in tuo sancto obsequio conservare digneris, Te.
Ut Regem nostrum custodire digneris, Te.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te.
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, Te.
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris, Te.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, Te.
Ut mentes nostras ad celestia desideria erigas, Te.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, Te.
Ut fructus terræ dare et conservare digneris, Te.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te.
Ut nos exaudire digneris, Te.
Fili Dei, Te.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine, non secundùm peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis,

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Oremus pro Pastore nostro.

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum.

℣. Pro Rege nostro.

℟. Domine, salvum fac Regem ; et exaudi nos in die quâ invocaverimus te.

℣. Pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen sanctum tuum vitam æternam.

℣. Pro cunctis fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Pro infirmis, afflictis, captivis, et peregrinis.

℟. Libera eos, Deus, ex omnibus tribulationibus suis.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Memor esto congregationis tuæ,

℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Domine, exaudi orationem meam ;

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Psalmus.

DEus, in adjutorium meum intende . . . Domine, ne moreris.

Gloria Patri, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam ;

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram : ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis : ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

INeffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende : ut simul nos et à peccatis omnibus exuas, et à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus qui culpas delinquentium districtè feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses : ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, pietatis tuæ gratiam sentiamus.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro, et dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternæ : ut, te donante, tibi placita cupiat, et totâ virtute perficiat.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus Rex noster N. qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa ; quibus decenter ornatus, vitiorum monstra devitare, hostes superare, et ad te qui via, veritas, et vita es, gratiosus valeat pervenire.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

URe igne sancti Spiritûs renes nostros et cor nostrum, Domine : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

ACtiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

FIdelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibas† omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ omnium delictorum suorum veniam consequantur : Per Dominum nostrum, etc.

FINIS.

I. APPENDIX.

II. NOTES.

III. INDEX OF FORMS.

IV. INDEX OF SAINTS, ETC.

APPENDIX.

[The following is the office for the First Sunday after Advent as it appears in some of the other copies mentioned in the introduction. In order to get in on the corrected sheet the Anthems, Versicles, &c., for the Sext, None, and Second Vespers omitted here, the whole office has been rearranged, and much altered. It has been thought well, therefore, to print it separately as an appendix.]

DOMINICA I. POST ADVENTUM.

Semiduplex.

Si hæc Dominica incidat in festum Natalis Domini, vel in festum S. Stephani, vel in festum S. Joannis, vel denique in festum SS. Innocentium, ejus officium transfertur in diem trigesimam Decemb.

Ad Primas Vesperas.

Ad Psalmos Antiph. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te.

Psalmi de Vesperis diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. A solis ortus cardine. *ut in primis Vesperis Nativitatis.*

℣. Verbum caro factum est,

℟. Et habitavit in nobis.

Ad Magnificat Antiph. Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit, alleluia.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo; ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare: Per eundem Dominum nostrum etc.

Fit commemoratio de Nativit.

Antiph. Hodie Christus natus est, hodie Salvator apparuit: hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant justi dicentes, Gloria in excelsis Deo, alleluia.

℣. Viderunt omnes fines terræ,

℟. Salutare Dei nostri.

Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet: Per eundem Christum

Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde, si Officium hujus Dominicæ translatum fuerit in diem trigesimam Decembris, fit commemoratio de sancto Thoma Cantuariensi.

Antiph. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

℣. Justus ut palma florebit:

℟. Sicut cedrus libani multiplicabitur.

Oratio.

DEus, pro cujus Ecclesia gloriosus Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit, præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum: Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Postea de S. Stephano.

Antiph. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus; ut discamus et inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. *Resp.* Amen.

Præterea de S. Ioanne.

Antiph. Exiit sermo inter fratres quòd discipulus ille non moritur: et non dixit Jesus, Non moritur; sed, Si eum volo manere donec veniam.

℣. Annuntiaverunt opera Dei:

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Oratio.

ECclesiam tuam Domine benignus illustra; ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna: Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Denique de SS. Innocentibus.

Antiph. O quàm beata ætas, quæ necdum Deum potest loqui, et jam pro Christo meretur occidi! O quàm feliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna vita obviam venit.

℣. Exultabunt sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

DEus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica; ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur: Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christus natus est nobis: Venite adoremus.

Hymnus. Christe redemptor

omnium. *ut in Matutino Nativitatis.*

Antiph. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu ; ego hodie genui te.

Psalmi de Matutino diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Verbum caro factum est,

℟. Et habitavit in nobis.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Te Deum laudamus. 117.

Ad Laudes.

Ad Psalmos Antiph. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Psalmi de Laudibus diei occurrentis, ut in Psalterio.

Hymnus. A solis ortus cardine. *ut in primis Vesperis Nativitatis.*

℣. Notum fecit Dominus,

℟. Salutare suum.

Ad Benedictus Antiph. Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus. *ut in primis Vesperis.* 149.

Fit commemoratio de Nativitate.

Antiph. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia, alleluia.

℣. Notum fecit Dominus,

℟. Salutare suum.

Oratio. Concede, quæsumus. *ut in primis Vesperis.* 150.

Deinde de S. Stephano.

Antiph. Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio. Da nobis quæsumus. *ut in primis Vesperis.* 150.

Postea de S. Ioanne.

Antiph. Iste est Joannes qui supra pectus Domini in cœna recubuit : beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Oratio. Ecclesiam tuam. *ut in primis Vesperis.* 150.

Denique de SS. Innocentibus.

Antiph. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt ; et erunt nomina eorum in libro vitæ.

℣. Exultabunt sancti in gloria :

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio. Deus cujus. *ut in primis Vesperis.* 151.

Ad Primam.

Antiph. Quem vidistis, Pastores, dicite, annuntiate nobis : in terris quis apparuit ? Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum, alleluia, alleluia.

Psalmi de Prima diei occurrentis, ut in Psalterio.

Lectio de Homilia.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam *Cap.* 2.

IN illo tempore : Erat pater Jesu et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Libro 2. in Lucam.

VIdes uberem in omnes gratiam Domini... Redemptorem omnium venisse nuntiaret.

AD TERTIAM.

Antiph. Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum: hæc gaudia matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est nec habere sequentem, alleluia.

Psalmi de Tertia diei occurrentis, ut in Psalterio.

℣. Verbum caro factus est;
℟. Et habitavit in nobis.

[*Dominica II. post Adventum* follows immediately.]

NOTES.

THE general principles which governed the compilation of this Breviary were explained in the introduction to Volume I. The very great majority of liturgical forms are the same as those in the Parisian Breviary of Archbishop François de Harlay, issued in 1680. The following notes show the sources of those forms which are not found there for the particular occasions on which they are used in Colbert. When there is only one Anthem, or only one Versicle and Respond in Colbert at Mattins, Lauds, or Vespers it is understood that it is one of those provided in Paris for those Hours. At None Colbert ordinarily takes the *fourth* of the Lauds Anthems where Paris takes the *fifth*, and at Vespers the *fifth* where Paris either repeats all the five Lauds Anthems or takes the Anthems to the Sunday Psalms, *Dixit Dominus*, *etc.*

The following symbols have been used.

P. = *Breviarium Parisiense* ... Ludovici Antonii De Noailles ... Parisiensis Archiepiscopi ... autoritate ... editum.
Parisiis, 1700. 4 vols. 12mo.
This represents the re-issue of De Harlay's Breviary by Archbishop de Noailles. It contains a short preface by de Noailles, dated on September 13th, 1697, in which he states that
... *Cùm verò, ubi primùm ad Sedem hanc Parisiensem evecti fuimus, primæ illius editionis vix ulla superessent exemplaria ... novam alteram paucissimis immutatis imperavimus; quam quidem et præmisso ejusdem Francisci decessoris nostri Mandato ut et in editione priori extabat, jam exhibemus ...*

R. = *Breviarium Romanum.* Ex decreto Sacrosancti concilii Tridentini restitutum, Pii V. Pont. Max. iussu editum, et Clementis VIII. primum, nunc denuo Vrbani PP. VIII. auctoritate recognitum.
Antverpiæ, ex officina Plantiniana, 1655. 1 vol. 8vo.

G. = *Breviarium Parisiense*, ad formam Sac. conc. Trident. restitutum ... Ioannis Francisci Pauli de Gondi ... Card. de Retz Parisiensis Archiepiscopi auctoritate editum.
Parisiis, 1657. 2 vols. 8vo.

The Mass Gospels and Epistles have been examined in

Missale Romanum. Ex decreto Sac. conc. Trident. restitutum, Pii V. ... et Clementis VIII. primum, nunc denuo Vrbani Papæ VIII. auctoritate recognitum.
Lutetiæ Parisiorum, 1670. 8vo.

The numbering of the Psalms follows the order of the Vulgate.

NOTES TO VOLUME THE FIRST.

COMMUNE DE TEMPORE.

P. 13. *Aperi Domine :* R.

P. 14. *Hymnus.* Nocte surgentes : R.
Antiphona. In matutinis : P. Versicle to Hymn at Lauds (except Sundays).

P. 16. *Antiphona.* Alleluia : R.
Antiphona. Jubilate Deo : Psal. xcvii. 4.
Hymnus. Ecce jam noctis : R.

P. 17. *Antiphona.* Dirige pedes : P. Anthem on Saturday only.

℣. Ora pro nobis. This Versicle is substituted for *Dignare me laudare te, Virgo sacrata*, etc., which is that provided in P.
The commemoration *De omnibus sanctis* is altered from that in P. which contains a reference to the relics of the saints present in the Church. The Collect is otherwise the same.

P. 21. *Antiphona.* Vespertina oratio : P. Versicle to the Hymn at Vespers on Saturday.
Hymnus. Jam sol recedit : R. on Saturday. The Urban version of *O lux beata Trinitas* which is the Hymn at Vespers on Saturday in P.

P. 22. *℣.* Dirigatur : P. on Sunday.
Antiphona. Exultavit : P. on Tuesday.
The Confession, etc. in P. comes at the end of Compline, not at the beginning. The text above follows R., the old *Lectio brevis*, *Fratres sobrii estote*, being replaced by a longer lesson.

P. 24. *Antiphona.* Non auferetur : P. Capitulum at Vespers, on week-days during Advent.

P. 25. *Antiphona.* Adhuc unum modicum : Hag. ii. 7–8.
Antiphona. Angelus Domini : P. Occurs as an Anthem to *Magnificat*, on the first Monday in Advent.
Antiphona. Ecce Virgo concipiet : P. Respond to second Lesson, Mattins, first Sunday in Advent.
Antiphona. Deus ipse veniet : P. Part of Anthem to *Magnificat*, 2nd Sunday in Advent, first Vespers.
Antiphona. Septuaginta hebdomades : P. Anthem to *Magnificat*, Thursday, second week in Advent.
Antiphona. Ex te Bethleem : Mich. v. 2.
Antiphona. Parvulus natus est : Isai. ix. 6.

P. 26. *Hymnus.* Creator alme : R.
Antiphona. Ecce concipies : P. Part of Respond to third Lesson, Mattins, first Sunday in Advent.
Invitatorium. Adoremus : Psal. xciv. 6, in the version when *Venite* is the Invitatory Psalm at Mattins, not the Vulgate.
Hymnus. Ex more : R.

P. 27. *Antiphona.* Convertimini : P. Capitulum at Terce, Sundays in Lent.
Antiphona. Derelinquat impius : P. Capitulum at Sext, Sundays in Lent.
Hymnus. O sol salutis : R.

P. 28. *Antiphona.* Peccavimus : Dan. ix. 5, 16, 18.
Invitatorium. Surrexit : P. Sundays after Easter.
Hymnus. Rex sempiterne : R., but omits two stanzas. The last stanza, *Ut sis perenne mentibus* is used by Colbert in all Hymns *tempore Paschali* whether the Hymn itself is from R. or not.

P. 29. *Antiphona.* Alleluia, lapis revolutus est : P., for Low Sunday.
Hymnus. Aurora cælum : R.
Antiphona. Si consurrexistis : P. *Lectio brevis* at Prime, *tempore Paschali.*

P. 30. *Hymnus.* Ad regias Agni dapes : R.

PROPRIUM DE TEMPORE.

P. 31. *Antiphona.* Nox præcessit : P. Capitulum at Sext, and part of that at None.
Antiphona. Confortate manus : P. Second Anthem, first Nocturn, Mattins, *tempore Adventus.*

P. 33. *Antiphona.* Gaudete omnes : P. Third Anthem, first Nocturn, Mattins, *tempore Adventus.*

P. 34. *Antiphona.* Gaude et lætare : P. First Anthem, second Nocturn, as above.

P. 35. *Antiphona.* Erumpant montes : P. Second Anthem, second Nocturn, as above.
Antiphona. Dic civitatibus : P. Third Anthem, second Nocturn, as above.

P. 37. *Lectio.* Latent quidem : The first paragraph only of this Lesson occurs at the first Nocturn in P., but the whole of it is found in R. and G.

P. 40. *Antiphona.* Ecce venio : P. Second Anthem, third Nocturn, as above.
Antiphona. In adventu : P. Third Anthem, third Nocturn, as above.
Antiphona. Ave Maria : R.G. P. has *Videbit omnis caro salutare Dei.*

P. 42. *Antiphona.* Cantate Domino : Psal. xcvii. 1.
The four Anthems following are taken from the Epistles at Mass on the respective Sundays.

P. 44. The incipit of the Collect given for S. Silvester here (*Da nobis*) appears to be a misprint for *Da quæsumus*, the collect given on page 235. There is no collect beginning *Da nobis* for Confessor Bishops.

P. 48. *Antiphona.* Benedicite persequentibus : Rom. xii. 14–16.

P. 49. *Antiphona.* Si esurierit : Rom. xii. 20.

P. 50. *Antiphona.* Nemini quidquid : Rom. xiii. 8.

P. 51. *Antiphona.* Supportate invicem : Col. iii. 13.

P. 52. *Lectio.* Cum negligentius : This Lesson is different from that provided in P. for the fifth Sunday after Epiphany, but the first paragraph contains the whole of the seventh and part of the eighth Lesson in R. Cp. Migne, *P.L.*, xxxv. 1367, etc.

P. 53. *Antiphona.* Locutus est Jesus : Matth. xiii. 34. From the Mass Gospel.

P. 54. *Antiphona.* Ii qui in stadio : P. Part of Capitulum, first Vespers.
Antiphona. Miserere mei : Psal. vi. 3. One of the Psalms at Mattins on Sundays.
Antiphona. Scitote quoniam : Psal. xcix. 3. One of the Psalms at Lauds on Sundays.

P. 55. *Antiphona.* Sanctum et terribile : Psal. cx. 9–10. One of the Psalms at Vespers on Sundays.
The above three Anthems occur again on Sexagesima and Quinquagesima.

P. 56. *Antiphona.* Libenter gloriabor : P. Capitulum at None.

P. 57. *Antiphona.* Si distribuero : 1. Cor. xiii. 3. From the Mass Epistle.

PP. 59–91. The lessons at Prime on all week-days from Ash Wednesday to Tuesday in Holy Week inclusive comprise the whole of the Gospel for the day, of which only the first few words occur in the ordinary Breviaries, prefixed as the text for the patristic homily.

P. 60. *Antiphona.* Domine non sum : In P. the Vespers on Thursday after Ash Wednesday are *de quinque plagis Christi* and this Anthem is that provided *pro commemoratione Feriæ.*
Feria Sexta. The Anthems and Collects at Lauds and Vespers are those provided *pro commemoratione Feriæ*, the day being the Feast of the Five Wounds of Christ in P.

P. 61. *Antiphona.* Exhortamur vos : P. Capitulum at Vespers.
Invitatorium. Adoremus et procidamus : Psal. xciv. 6.
Antiphona. Ecce in die jejunii : Isai. lviii. 3–5.

P. 62. *Antiphona.* Hoc est jejunium : Isai. lviii. 6–7.

P. 63. *℣.* Susceptor meus : P. *Versiculus sacerdotalis* after *Te Deum.*
Antiphona. Excelsus : Psal. cxii. 4. One of the Psalms at Vespers on Sundays.

P. 65. The portion of the Lesson from *resurrecturum* (1st column, line 5) to *quæ* which is obelized in the text, occurs in P. as follows—

> *nam id illi risu excepissent: sed obscure quidem indicavit, ita ut tamen eum rem præscivisse crederent ...*

Cp. Migne, *P.G.*, lvii. 458.

P. 68. *Antiphona.* Hæc est voluntas : P. In part from the Capitulum at Sext. Cp. also 1. Thess. iv. 3–5.
Antiphona. Ne quis supergrediatur : 1. Thess. iv. 6. From the Mass Epistle on the Sunday.

P. 69. *Antiphona.* Non tardes : Ecclus. v. 8–9.
Antiphona. Scito et vide : Jerem. ii. 19.

P. 73. *Antiphona.* Estote imitatores : P. Capitulum at first Vespers.
Antiphona. Eratis aliquando : P. Capitulum at None.
Antiphona. Quam magna misericordia : Ecclus. xvii. 28.

P. 77. *Antiphona.* Scriptum est : P. Capitulum at first Vespers.

P. 78. *Antiphona.* Non sumus ancillæ : Gal. iv. 31. From the Mass Epistle on the Sunday.
Antiphona. Scitote quoniam : Judith iv. 12.
Antiphona. Pœnitentibus dedit : Ecclus. xvii. 20.

P. 82. *Antiphona.* Christus assistens : P. Abbreviated from Capitulum at first Vespers.

P. 83. *Antiphona.* Si sanguis : P. Capitulum at Sext.

P. 85. *Antiphona.* Post hebdomades : Dan. ix. 26.
Antiphona. Sicut ovis : Isai. liii. 7.
Antiphona. Ipse vulneratus est : Isai. liii. 5.

P. 86. *Antiphona.* Omnes nos quasi : Isai. liii. 6.

P. 88. *Antiphona.* Semetipsum exinanivit : P. Part of Capitulum at first Vespers.
Friday in Passion week in P. has the *Officium de Passione Beatæ Mariæ*. The Collect and Anthems above are those provided *pro commemoratione Feriæ* at Lauds and Vespers.

P. 89. *Antiphona.* Humiliavit semetipsum : P. Part of Capitulum at Sext
Antiphona. In nomine Jesu : P. Part of Capitulum at None.
Antiphona. Dicite filiæ Sion : Matth. xxi. 5.

P. 91. *Antiphona.* Omnis lingua : P. Part of Capitulum at None.

P. 92. *Lectiones.* Quis credidit ; Oblatus est quia : These two Lessons from Isaiah are substituted for those in P. and R. which are taken from Jeremiah. They appear, however, as the second prophetical Lesson in the Missal on Wednesday in Holy Week.

PP. 92–106. The full service of three Nocturns at Mattins, with Responds to each Lesson, and separate Anthems to every Psalm at Mattins, Lauds and Vespers is here restored, and follows P. throughout, except that a rubric

occurs in P. after the collect *Spiritum nobis* on Easter Even (p. 105) as follows :—

> *Extra Chorum, Vesperæ dicuntur ut suprà; sed ante Orationem non dicitur* Dominus vobiscum, *nec* Oremus; *et post Orationem nihil additur.*

At Compline also *Converte nos* and *Deus in adjutorium* are to be omitted, the Psalms and *Nunc dimittis* are to be said without *Gloria Patri*, and nothing is to follow the collect *Visita.*

The text above follows R. in what it contains.

P. 112. *Antiphona.* Nonne hæc oportuit : Luke xxiv. 26. From the Mass Gospel.

P. 113. First column, line two from bottom. For *erat*† read *egit.* (P.)

P. 114. *Antiphona.* Vobis annuntiamus : Acts xiii. 32–33. From the Mass Epistle.

P. 115. *Antiphona.* Ecce præcedit : Matth. xxviii. 7.
Antiphona. Deus patrum : Acts iii. 13. From the Mass Epistle.

P. 118. *Antiphona.* Vade ad fratres : John xx. 17. From the Mass Gospel.
Antiphona. Christus semel pro peccatis : 1. Pet. iii. 18. From the Mass Epistle.

P. 119. *Antiphona.* Ecce ego : Matth. xxviii. 20. From the Mass Gospel.
Antiphona. Sicut modo : 1. Petr. ii. 2. From the Mass Epistle.

P. 120. *Antiphona.* Alleluia : R. P. has *Lapis revolutus est, ab ostio monumenti* inserted between the Alleluias.

P. 130. *Antiphona.* Attollite portas : Psal. xxiii. 7.
Antiphona. Omnis lingua : P. *Versiculus sacerdotalis* after *Te Deum.*
Antiphona. Cum intuerentur : P. At Lauds on Friday after the Ascension. In G. the Anthem to the second of the Psalms *in die.*

P. 142. *Responsorium.* Advenit ignis : This Respond occurs in G. but not in R. or P.

P. 146. *Antiphona.* Super servos : Joel ii. 29.
℣. Emitte spiritum : P. *Versiculus sacerdotalis* after *Te Deum.*
Antiphona. Spiritum meum : Ezech. xxxvi. 27.

P. 147. *Antiphona.* Apparuerunt illis : Acts ii. 3.
Antiphona. Convenit multitudo : Acts ii. 6.
The other Anthems, etc., *infra hebdomadam* are taken from the Office for Whitsunday itself in P.

P. 153. *Lectio.* Non propter aliud : Not in R., G. or P. Cp. Migne, *P.L.*, xl. 649.

P. 156. *Antiphona.* Sanctus . sanctus : Isai. vi. 3.
Hymnus. Jam sol recedit : R.
Antiphona. Euntes docete : Matth. xxviii. 19. From the Mass Gospel.

P. 157. *Antiphona.* Tres sunt : P. Capitulum at None.
Hymnus. O luce quæ : follows P. except the first two lines of the third stanza which there appear as
At se videt totum Pater, Cœva proles nascitur.

P. 160. *Antiphona.* Accipite : P. Part of Capitulum at Vespers.

P. 161. *Antiphona.* Magnum est : P. at Mattins *infra octavam*, not *in die.*
Antiphona. Qui manducat : P. Part of Respond to seventh Lesson, Mattins.

P. 165. *Antiphona.* Qui habuerit : I. John iii. 17. From the Mass Epistle.

